



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro tertio Decretalium, In Quo De Obligationibus, Beneficiis, Aliisque Juribus Clericorum saecularium, & Regularium agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1676

Titulus XXXII. De Conversione Conjugatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98275](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98275)

TITVLVS XXXII.

DE CONVERSIONE
CONIUGATORVM

Actum est Titulo præcedente generatim de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem: quia verò interdum etiam conjuges converti, seu Religionem ingredi volunt, circa quod peculiares difficultates occurrunt; ideo de his in Titulo proximè sequente agitur.

§. I.

Quæ conditiones requirantur, ut coniux, post matrimonium consummatum, licetè possit Religionem ingredi?

I.



Ad hanc quæstionem respondetur, non potest coniux, post matrimonium consummatum, Religionem ingredi, & in ea Professionem emittere, nisi alter coniux det licentiam: & tunc si hic sit senex, & extra incontinentiæ periculum, secundum Episcopi iudicium, versetur, in sæculo permanere permittitur: dummodo in facie Ecclesiæ, videlicet coram Episcopo, & testibus, perpetuam continentiam voveat. Sin autem coniux remanens sit juvenis, aut non extra incontinentiæ periculum versari videatur, etiam ipse Religionem ingredi debet. Ita statuitur in pluribus capp. h. t. Nam in primis in c. Præterea; i. h. t. habetur, quidam Læcus conjugatus, cum uxoris licentia, & permissione, ignorante Episcopo, Monasterium, præsentibus Sacerdotibus, & Monachis, est ingressus, & Professionem fecit: uxor autem in sæculo permansit, & in habitu sæculari, & ad Religionem non transiit, neque continentiam votum edidit. Unde quæsitum fuit, num maritus ab Episcopo suo ad forum uxoris revocari possit? Respondet Alexander III. si ita est, quod uxor nec ad Religionem transiit (cum non posset esse in sæculo, sine suspitione turpitudinis, Gl. hic V. Transiit) neque continentiam perpetuam servare promissit, (manendo in domo propria, si est senex, Gl. hic V. Promissit) maritus è Monasterio possit, ac debeat revocari.

II. Similiter in cap. Cum sit; 4. h. t. statuitur, cum SS. PP. Constitutioni (c. Sunt qui dicant; 19. & c. Agathos; 21. caus. 27. q. 2.) contrarium sit, ut maritus uxore suâ, vel uxor marito suo in sæculo relicto, ad Religionem transeat; ideo idem Papa Alexander III. prohibet Episcopo Exonensi, ne in Episcopatu suo maritum, vel uxorem ad Religionem transire permittat, nisi etiam alter in-

gredi consentiat, adeoque uterque ad Religionem migraverit. Veruntamen si uxor senex sit, & sterilis (ratione ætatis: non naturæ, Gl. hic V. Sterilis) ita, ut sine suspitione incontinentiæ in sæculo manere possit, dissimulare poterit Episcopus, ut vir ad Religionem transeat, dummodo uxor in sæculo manens, perpetuam castitatem promittat.

III. Idem habetur statutum in c. Uxoratus ad Monasterium, sine licentia uxoris, non recipiatur: neque sufficit, uxorem licentiam dante, nisi integræ opinionis existat, ita, ut nullam suspitionem, illam ad secunda vota, vel alias nuptias transiitutam, vel incontinentem victuram: tum enim illa in propria domo, cum filiis suis, & familiaribus, poterit permanere, si publicè in Ecclesiâ votum continentiam edat. Sin autem talis fuerit, ut incontinentiæ suspitione non careat, tum à sæculari hominum conversatione remota, in loco Religioso, ubi DEO serviat, edito voto continentiam, perpetuè commoretur. Ulterius prohibet Papa, ne Monachi mulierem aliquam consueverint, vel ad habitandum cum ipsis, admittente præsumant.

IV. Denique in cap. Ad Apostolicam; 1. Innocentius III. rescribit: cum vir, & uxor, post copulam conjugalem, veluti una caro sint effecti, non potest unus eorum ad Religionem suscipi, altero in sæculo remanente, nisi etiam iste perpetuam continentiam promittat. Imò etiam, multo vitæ statu, Religionem ingredi debet, nisi in ea sit ætate, ut sine suspitione, seu periculo incontinentiæ, in sæculo remanere possit.

V. Pro explicatione horum capp. Notandum primò. Ut Professio conjugati in Religione validè fiat, non est necessaria licentia Episcopi, aut in c. Si vir; 23. caus. 27. q. 2. Ubi dicitur: Si vir, & uxor, divertere, pro sola Religiosa inter se consensu vita, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat, non irritatur Professio, sine licentia Episcopi facta, ut notat Gl. ibid. V. Conscientia; ubi ait, quod generaliter consuetudo id ita interpretatur. Idque apertè etiam colligitur ex cap. 1. in fine, h. t. argumentato à contrariis sensu: ubi dicitur, si vir, ignorante Episcopo: sed cum licentia uxoris, Professionem fecit, non posse, nec debere revocari.

uxor ad Religionem transit, vel perpetuam castitatem vovit, ergo ob defectum licentiæ Episcopi non est invalida Professio conjugati, *Abb. in cit. c. 1. num. 3. Sanch. Lib. 7. de matr. disp. 32. num. 3.* Imò neque licentia Episcopi requiritur ex præcepto, ad Professionem conjugati: sed solum ex honestate, & consilio, & ad maiorem securitatem; quia cum per ingressum Religionis fiat matrimonij consummati, quoad torum, separatio, non decet, ut id fiat, sine licentia Episcopi, cum sit Sacramentum in Ecclesia Dei, *Sanch. c. l. in praxi tamen observari solet, ut licentia Episcopi exigatur, sicut notat Laym. Lib. 5. tract. 10. p. 3. c. 7. n. 3.*

Notandum secundò. Ad licitam Professionem conjugati non satis est, si alter conjux sit adhuc juvenis, & Religionem ingrediatur, ut ibi inclusus à vagationibus arceatur: sed requiritur, ut etiam Professionem emittat, ut colligitur ex *c. Uxoratus*; 8. ibi: *Et in loco Religioso, ubi Deo serviat, perpetuò commoretur, h. t.* Nam si ingrederetur solum, ad vitandas occasiones vagandi, includeretur in Monasterio velut in carcere: non autem intraret, ut Deo serviat. Idem clariùs patet ex *c. Cum sis* 3. q. 1. ibi: *Nisi uterque ad Religionem migraverit, h. t. & ex c. 1. eod. ibi: Nisi uxor ad Religionem transierit, non autem tranfit, si non profiteatur, & ex c. Agathosa*; 2. l. in fine, ibi: *Postquam copulatione conjugij viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, & ex parte in sæculo remanere: At non dicitur converti: sed in sæculo manere, si non profiteatur* *Abb. in cit. c. Uxoratus*; num. 3. & in *c. Accedens*; 17. num. 2. h. t. ubi ait, in illo cap. narrari factum, non statui jus, *Sanch. cit. disp. 32. num. 4.* sed neque sufficit ad Professionem conjugati, si alter conjux senex in sæculo manens, edat votum continentia ad tempus, dum nimirum conjux Professus in vivis fuerit: sed requiritur, ut edat perpetuum votum continentia, ut constat, ex *c. 1. h. t. ibi: Aut perpetuò castitatem servare promiserit, & ex c. Apostolica*; 13. ibi: *Nisi reliquis perpetuam continentiam repromittat, h. t.* *Joan. Andr. ibidem n. 1. Sanch. c. l. n. 5.*

Notandum tertio. Si vir, cum licentia uxoris, profiteatur Religionem, non redditur votum simplex continentia ab uxore in sæculo factum solenne, ita, ut reddat irritum matrimonium post obitum viri Professus, ab uxore initum; tum quia id nullo Textu Juris Canonici probari potest: tum quia deest intentio voventis, uxor enim non vult, nisi simplex votum continentia edere: nequam fieri potest votum solenne, nisi per Professionem in Religione approbata, vel susceptionem Ordinis Sacri, *c. Unic. de voto, in 6. Sanch. cit. disp. 32. num. 8.* contra plures Canonistas.

VI. Notandum quarto. Ad hoc, ut alter conjux, cum voto perpetua continentia, remanere possit in sæculo, non sufficit, quod sit senex: sed insuper requiritur, ut non sit suspectus de periculo incontinentia; quia SS. Canones non attendunt solam ætatem: sed etiam, ut non sit de eo suspicio incontinentia, ut constat ex *c. Cum sis*, ibi: *Verum si ita uxor senex est, & sterilis, quod sine suspitione possit esse in sæculo, & cit. c. Uxoratus*; ibi: *Si autem talis, quæ suspitione non careat: & in cit. c. Ad Apostolicam*; ibi: *Nisi forte sit ejus ætatis, ut sine suspitione valeat in sæculo*

lo remanere. Et in *c. Significavit*; 18. h. t. ibi: *Si est ita, & est talis ætatis, de qua suspicio haberi non possit; ergo cujuscunque ætatis sit conjux remanens in sæculo, si tamen de eo sit suspicio incontinentia, non sufficit, quod votum perpetuum continentia ediderit; quia Canones periculo incontinentia consulere voluerunt.* Quare in conjugate sene non præsumitur quidem periculum incontinentia, si tamen constaret, tale periculum subesse, cessaret illa præsumptio, & non posset remanere in sæculo, cum solo voto continentia; altero conjugate Religionem professus, *Sanch. c. l. num. 9.* Sed neque sufficit prædictum votum continentia, si conjux manens in sæculo sit juvenis, etsi alioquin sit honestæ vitæ, ut nullum hic, & nunc periculum incontinentia subest; nam juvenis est inconstans, & variis casibus incontinentia exposta, *Abb. in c. Conjugatus*; 5. num. 4. h. t. *Sanch. c. l. num. 10.* Nec denique sufficit prædictum votum, etsi uxor manens in sæculo sit senex, nec suspecta de incontinentia, si tamen sit suspecta de alijs perveris moribus, ut si timendum sit, ne viri curâ destituta, fiat venefica, vel usuraria, &c. quia tunc non expedit salutem animæ uxoris, ut vir profiteatur in Religione, ideòque id permitti non debet: quamvis si contra fiat, teneat Professio viri; quia principaliter spectatur in proposito periculum incontinentia, quod adversatur fidei conjugali, quod est unum ex tribus bonis matrimonij, *Joan. Andr. in cit. cap. Ad Apostolicam*; num. 3. & ibi. *Abb. num. 4. h. t. Sanch. c. l. num. 11.*

VII. Notandum quinto. Si uxor, quæ licentiam dedit marito ingrediendi Religionem, sit senex, sive talis ætatis, ut de ejus incontinentia non sit suspicio, tunc ipsa non potest cogi, ad ingrediendam Religionem: sed satis est, si perpetuum continentia votum edat coram Episcopo, ut constat ex *c. Significavit*; 18. h. t. Ubi refertur, quod mulier quædam dedit viro suo licentiam intrandi Religionem, coram Decano S. Quiriaci, vices Archiepiscopi Senonensis in hac causa fungente, qui tamen prius illi injunxit, ut edito continentia voto, promitteret, se illam perpetuò servaturam: post factam verò Professionem à viro, idem Decanus volebat mulierem illam cogere, ut Religionem intraret, quod tamen prius ipsi non fuit indicatum, alioquin ipsa licentiam viro non dedisset. Hoc intellecto, Innocentius III. respondit, si ita est, uti narratur, & mulier talis sit ætatis, ut de illa suspicio incontinentia haberi non possit, dum votum continentia observat, ad intrandum Monasterium invita compelli non potest. Ratio est, quia ipsa voto suo ad profitendum in Religione, nec expressè, nec tacitè se obligavit.

VIII. Porro ex hoc cap. à contrario sensu inferunt *Innocent. ibid.* & *Abb. num. 3. in fine, Sanch. cit. disp. 32. num. 12.* quod si mulier sit talis ætatis, ut de ea suspicio haberi non possit, & continentiam perpetuam vovit, coram Episcopo, postea verò incontinententer vivat, ad ingrediendum Monasterium compelli debeat, non quidem, ut in eo profiteatur: sed ut penitentiam agat, & à periculis incontinentia arceatur. Verum rectius cum alijs distinguitur; nam vel mulier senex, fuit conscientia juris, quod si vir ingrediatur Religionem, ipsa manens in

§. II.

*An Professio emissa à coniuge, cum
licentia alterius coniugis manentis in
saeculo, siue cum voto castita-
tis, siue etiam sine illo, sit
valida?*

saeculo debeat vovere perpetuam continentiam, vel ingredi Religionem: & tum dando licentiam viro, censetur se obligare ad id, quod ius requirit, videlicet ad Religionem ingrediendum, nisi in saeculo manens perpetuam continentiam voveat, ideoque si hanc non serset, ad Monasterium ingrediendum, & in eo profitendum, praesertim post monitionem, compelli potest; quia eo ipso, quod promissit continentiam perpetuam, tacite promissit, intrare Religionem; & in ea profiteri, si continentiam in saeculo non serset, *Gl. in cit. cap. Significavit; V. Talis aetatis, h. t. & alij apud Innocent. ibid. in fine, Abb. in cap. 1. num. 8. h. t.* Vel mulier senex non fuit conscia huius juris, neque de eo certificata, ut in casu cit. c. *Significavit*; & tunc, etsi incontinentem vixerit, non potest compelli, ad Religionem ingrediendam, ac profitendam; quia nemo ordinariè cogi potest, ad Religionem, nisi expresse, aut tacite promiserit, *arg. c. Integritas; 13. caus. 32. q. 1. Abb. in cit. c. 1. n. 8. & 9. h. t.* Quod verò tali casu mulier includenda sit, ad agendam poenitentiam, de eo in cit. c. *Significavit*; nihil dicitur, colligitur tamen ex c. *Gaudemus; 19. eod.* Sed hodie id ferre in usum non est, quia huiusmodi inclusio, sine magna difficultate, & gravi onere Monasteriorum, executioni mandari non potest. Quare ad Episcopum spectabit, providere, ut tali casu mulier in alio loco constitutur, in quo honestè, & continenter vivat, *arg. c. De Benedicto; 5. caus. 32. q. 1.* Neque verò ex cit. cap. *Significavit*; potest desumi argumentum à contrario sensu; quia Papa aliud ibi non statuit, nisi mulierem, si ita est, ut narratur, compellendam non esse, ut Monasterium ingrediatur: quid autem fieri debeat, si mulier talis incontinentem vivat, de eo Papa ibi nihil meminit; quia neque id ipsi propositum fuit, & res maiorem indaginem exigit.

IX. Norandum sextò. Si conjux ingressus Religionem, cum licentia alterius conjugis, durante Novitiatu, ante Professionem, exeat, debet redire ad conjugem, qui mansit in saeculo, etiamsi hic votum perpetuae castitatis emiseric; quia & licentia ingrediendi, & votum continentiae censetur factum, dependenter à Professione secutura alterius, ideoque si ea non sequatur, cessat obligatio voti, ob defectum causae, & conditionis, *Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 32. num. 13.*

Norandum septimò. Si unus ex conjugibus, sine alterius licentia, Professionem emittat, & manens in saeculo illam velit ratificare, tum non tenetur ingredi Religionem, quamvis juvenis sit: sed satis est, si in saeculo continentiam voveat. Quod si id nolit, non potest ratificare Professionem alterius conjugis: sed debet illum repetere; quia ius non permittit, ut unus conjux sit in Religionem, alter verò extra illam vivat in saeculo, sine voto continentiae, *Abb. in c. Placet; 12. num. 6. h. t. Sanch. c. l. num. 14.*

Idemque est, si manens in saeculo vivat incontinentem, *Navarr. Lib. 3. cons. 6. n. 3.*

Sanch. cit. loc.

X. Assertio 1. Quamvis adhuc, ut contra licitè Religionem ingrediatur, & in illa profiteatur, non sufficiat licentia alterius conjugis: sed etiam requiratur, ut alter simul ingrediatur Religionem, vel saltem perpetuam continentiam voveat, manens in saeculo, si extra periculum continentiae esse videatur, ut constat ex c. *Cum sis; 4. h. t.* Nihilominus tamen valida est Professio, si conjux manens in saeculo emittit votum castitatis, etiamsi sit juvenis, & suspectus de incontinentia, modò cum ejus consensu alter conjux Religionem ingressus sit, & professus, ut et communi, & certa sententia docet *Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 33. num. 2.* Ratio est, quia non requiritur ad substantiam Professionis, ut alter conjux etiam Professionem emittat, quando est juvenis, & suspectus de incontinentia: sed solum id exigitur, ut Professio legitimè, & licitè fiat, ut ex dicendis magis patebit.

XI. Assertio 2. Sed etsi conjux manens in saeculo nullum votum castitatis edidit, valida tamen est Professio ingressi Religionem, cum licentia, & libero consensu alterius conjugis, ut docet *Gl. in cap. Ex parte; 9. V. De jure, h. t. & ibid. Abb. num. 1. & 5. & alij communiter*, tam Theologi, quam Canonistae apud *Sanch. c. l. num. 4.* Idque probatur ex cap. *Agathosa; 21. caus. 27. q. 2.* Ubi disjunctivè dictum virum in Monasterio remanere debere, adeoque Professionem esse validam, si cum uxoris voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare, hoc est, ingredi Religionem promiserit, *Gl. ibid. V. vel ipsa*, ubi ait: hic habes, quòd consensus uxoris sufficit, licet ipsa expresse non voveat, nec intret Religionem, ut maritus possit intrare Religionem. Idem etiam sumitur ex cit. c. *Ex parte; h. t.* Nam cum quidam positus in infirmitate, consentiente uxore suà, votum castitatis edens, habitum Monachalem suscepisset, postea sanus factus, uxorem retinuit, eaque defuncta, aliam duxit. Ad quòd Urbanus III. respondet, licet praedictus vir, uxore suà in saeculo remanente, ad Religionem transire de jure non potuerit, eam tamen mortuam, votum suum, sine saluti suae periculo, violare non potuisse, ideoque etiam si daretur Papa, si verum sit, quod asseritur, virum compelli per excommunicationem debere, ut mulierem illam, quam postea duxit, dimissa, ad Monasterium suum reverteretur, sub Regulari habitu deinceps Deo serviturus.

Ex quo aperte colligitur, quòd Professio, si fuerit valida, licet cum solo consensu uxoris, Religionem intraverit, ipsaque in saeculo remanens, alioquin secundum matrimonium fuisset valida. Ratio est, quia ad substantiam, ac valorem Professionis unius conjugis non requiritur, vel votum

votum continentiae alterius conjugis: sed solum, ut legitime, & licite fiat, nullibi enim irritatur Professio aliter facta, hoc est, facta sine Professione, vel voto continentiae alterius conjugis, & multa prohibentur fieri, quae tamen si facta fuerint, tenent, *cap. Ad Apostolicam*; 16. de *Regul. Gl. in c. Uxoratus*; 8. V. *Nulatenus*, h. t. Nec obstat, quod in eod. *cap.* dicitur, quod uxoratus, sine licentia uxoris, quae integra opinionis existat (adeoque continentiam promissit, *Gl. hic in casu*) nullatenus recipi debeat ad Religionem; nam particula *nullatenus* non semper reddit actum nullum, praesertim si extet aliud jus, declarans illum actum esse validum, ut sit in proposito, *Sanch. cit. dis. 33. n. 7.*

XII. Hinc colligitur primò, si maritus tali modo Religionem ingressus, & Professus (scilicet cum licentia quidem uxoris: sed quae nec promissit ingredi Religionem, nec continentiam, siue sit senex, siue juvenis) ab Episcopo revocetur, ut ad uxorem redeat, etiam non possit exigere debitum conjugii, tenetur tamen illud reddere uxori, alioquin frustra revocaretur ex Religione; quia non consuleretur periculo incontinentiae uxoris: & quamvis uxor, concedendo licentiam, videatur juri suo conjugali renunciassse; quia tamen renunciatio ista non fuit legitimo modo facta, adeoque non sufficiens, & perfecta, ideo voti obligatio, ex parte viri, suspenditur ad hunc effectum, ut reddere debitum teneatur: non tamen petere possit; nam cum Professio sit valida, vir obligatur solenni voto castitatis, & ex parte sua continere debet: non item uxor, quae nullum votum castitatis edidit, ratione cujus prohibeatur, debitum petere, *Abb. in cit. c. Uxoratus*; n. 8. & *Sanch. cit. dis. 33. n. 6.*

Colligitur secundò, maritus revocatus ex Monasterio, quia Professio fuit illicitè facta, ob defectum unius, vel alterius conditionis in jure requisitae, ex parte uxoris, eique restitutus, nec licite, nec valide, mortuà uxore, potest aliud matrimonium contrahere: sed ad Monasterium redire cogitur; quia Professio fuit valida, prout patet ex *cit. c. Ex parte*; h. t. Ubi vir Professus jubetur, muliere postea ductà dimissà, ad suum Monasterium reverti, ac proinde matrimonium posterius fuit irritum, alioquin manere debuisset penes mulierem postea ductam, *Sanch. cit. dis. 33. n. 5.*

XIII. Porro circa revocationem mariti professi à Religione, notandum praeterea primò: Si uxor, de cujus licentia, maritus Professionem emisit, vovit continentiam perpetuam, manens in saeculo, non potest ejus vir ex Monasterio revocari, siue uxor sit senex, & non suspecta de incontinentia: siue sit juvenis, & suspecta, utroque enim casu tenet irrevocabiliter Professio viri; quia uxor, concedendo licentiam viro, & vovendo perpetuam continentiam, cessit juri suo conjugali: idque colligitur ex *c. 1. h. t.* Ubi, ut concedatur revocatio viri Professi, requiritur, ut uxor, nec ad Monasterium transierit, neque continentiam perpetuam voverit, ergo si Religionem ingressa sit, vel vovit continentiam, non conceditur revocatio viri, *Abb. in cit. c. 1. n. 8. & c. Significavit*; 18. n. 3. *Sanch. cit. dis. 33. n. 9. Fagnan. in cit. c. 1. n. 2.*

XIV. Notandum secundò. Si uxor manens in saeculo, non edito voto continentiae, dedit licentiam viro, ingrediendi Religionem, tum vel fuit con-

scia juris disponentis, virum non posse profiteri, nisi ipsa licentiam concedens voveat perpetuam continentiam, si sit senex, & non suspecta de incontinentia: vel ingrediatur Religionem, si sit juvenis, & suspecta; & tunc non potest vir professus revocari, si uxor, nec ad Religionem transiit, neque continentiam perpetuam vovit, juxta *cit. cap. 1. h. t.* quomodo illud intelligit, & explicat *Abb. ibid. num. 4. & 8. & in c. Ex parte*; 9. num. 4. h. t. *Sanch. cit. dis. 33. nu. 14.* Ratio est, quia uxor conscia juris, dando licentiam profitendi viro, censetur se obligasse ad id, quod jus requirit, videlicet, quod & ipsa Monasterium ingredi velit, si sit juvenis: vel perpetuam continentiam servare in saeculo, si senex sit, & à suspitione incontinentiae aliena; nam qui vult aliquid, censetur velle omne id, per quod pervenitur ad illud, *c. Prudentiam*; 21. de *offic. deleg.* Sed ingressus mariti in Religionem non potest irrevocabiliter fieri, nisi uxor, vel ingrediatur etiam Religionem, vel saltem in saeculo manens voveat perpetuam continentiam, ergo dando licentiam, censetur ad alterutrum se obligasse, adeoque virum professum revocare non potest.

Id autem procedit solum in uxore, juris hujus ignara, nam si vir concessit licentiam ingrediendi Religionem uxori, non vovens expressè continentiam, siue fuerit hujus juris conscius, siue ignarus, non potest revocare uxorem; quia censetur licentiam dando, tacite vovisse continentiam, cum in viro non praesumatur, nec excuset ignorantia juris, saltem in foro externo, juxta *Reg. Jur. 13. in 6.* sicut in muliere, *Abb. in cit. c. 1. num. 9. Sanch. c. l. num. 14.* idque sumitur etiam ex *c. Qui uxorem*; 10. *caus. 33. q. 1.* Ubi dicitur: *Qui uxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat: sed similiter convertatur*: Ubi non dicitur, maritum vovisse: sed consensum uxoris Professioni dedisse, & tamen cogitur similiter profiteri; quia vir praesumitur conscius juris, *Gl. ibid. V. Convertatur, in fine.* Verum alij non improbabiler docent, generaliter, & indistinctè, uxorem posse revocare virum professum, si liberè consensit, & non vovit continentiam; quia in *cit. c. 1. h. t.* indistinctè conceditur revocatio viri Professi, quando uxor manens in saeculo non vovit continentiam, & in eo se fundat Pontifex, non in ignorantia juris, & ita tenet *Gl. fin. ibid. & Joan. Andr. in c. Ex parte*; 9. n. 4. *Vers. in 4. casu h. t.*

Porro quando uxor consensit quidem in Professionem viri: sed in saeculo mansit, cum tamen esset juvenis, aut suspecta de incontinentia, tum distinguendum est, vel enim edidit votum, ingrediendi Religionem, & debet illam profiteri: vel vovit solum continentiam, & tunc si est juris conscia, compellitur profiteri, *arg. cit. c. Qui uxorem*; quia censetur tacite ad id se obligasse, dum marito licentiam dedit, & ipsa vovit continentiam: Vel fuit juris hujus ignara: & tunc non potest cogi ad Professionem; quia nec expressè, nec tacite eam promissit: compellitur tamen, Monasterium ingredi, vel in alio loco constitui; non ut ibi maneat, velut inclusa in carcere, cum nihil deliquerit: sed ut honestam vitam ibi ducere possit, cum uxor juvenis, viro Religionem ingrediente, non possit in saeculo manere, propter periculum incontinentiae, *Abb. in cit. c. 1. nu. 8. h. t. Azor. p. 1. lib. 12. c. 1. q. 6. §. Si queras*; 2. *Sanch. c. l. num. 27.* Aliud est in viro, qui cogitur profiteri Re-

ligionem, etiam si sit juris ignarus; quia ignorantia juris illum non excusat, nisi sit minor, miles, rudis, &c. *Abb. c. l. & Sanch. c. l. num. 27.* In dubio autem mulier presumitur juris ignara, nisi probetur, illam de eo esse certificatam, ut colligitur ex cap. *Cum sis* 34. in princ. h. t.

XV. Notandum tertio, quando uxor sponte consensit in viri Professionem, non edito voto continentiae, tunc ipsa in saeculo manens, non potest quidem revocare virum professum, per actionem propriè dictam; quia consentiendo in viri ingressum, cessit juri suo, ideòque amplius actionem non habet: potest tamen implorare Judicis officium, allegato periculo incontinentiae, ex Canonis Constitutione, & sic petere, ut maritus ipsius è Religione revocetur, ipsique restituatur, *Abb. in cit. c. 1. num. 8. & c. Uxoratus*; 8. num. 6. *Azor. c. l. §. Si queras*; 1. *Vers. Si iterum*, *Sanch. cit. dis. 33. num. 18.* Neque tamen etiam, casu, quo revocari potest conjux Professus, potest is, proprià auctoritate, exire è Religione; quia cum sit verè Professus, subjectus est obedientiae sui Praelati, *Sanch. c. l. num. 15.* Porro conjux, qui licentiam concessit alteri conjugi, ingrediendi Religionem, potest illum revocare, si res sit integra; quia conjux alter nondum est Professus, nec valebit Professio, post illam revocationem facta, quia sine legitima licentia est emissa, *Sanch. c. l. n. 19.*

§. III.

An Professio mariti, invitâ, vel ignorante uxore, & vice versâ, uxoris, invito, vel ignorante marito, post consummatum matrimonium, sit valida, & ad quid obliget?

XVI. Assertio 1. Quamvis Professio conjugis, absque consensu alterius conjugis, & multò magis eo invito, & contradicente, post matrimonium consummatum, absolute loquendo, non valeat, ideòque mortuo altero conjugè, Religionem intrare non teneatur: habet tamen talis Professio vim, & obligat, instar simplicis voti continentiae, ita, ut conjux vovens non possit petere conjugij debitum, licet reddere teneatur, & post mortem alterius conjugis, ad perpetuam continentiam servandam obligetur, prout sumitur ex *Quidam*; 3. h. t. Nam cum quidam Monasterium intrasset, & in eo Professionem edidisset, invitâ uxore, & ab illa è Monasterio repositus fuisset: quærebatur, an eâ mortuâ, ipse cogatur reverti ad Monasterium, an verò aliam uxorem ducere possit? Respondet Papa Alexander III. quòd votum (scilicet solenne Religionis) non tenuit: sed irritum fuit, ideòque ratione illius voti, seu Professionis, non tenetur ad Monasterium redire: non tamen potest aliam uxorem ducere: (si hæc præmoriatur) promisit enim, se non petitorum debitum conjugale, quod vovere in ejus erat potestate; & ideo quoad hoc, sive hanc partem, votum ejus tenuit: at verò non reddere debitum conjugij petenti, non erat in ejus, sed mulieris po-

testate, teste Apostolo 1. ad Corinth. 7. *Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Ratio prioris partis est, quia conjux non habet dominium sui corporis, ideòque non potest illud transferre in Religionem, invito altero conjugè; quia id cederet in præjudicium illius, ac proinde Professio facta, sine ejusdem consensu, est irrita: sicut & valde Professus non potest inire matrimonium; quia non potest tradere uxori suum corpus, cujus non est dominus post Professionem. Ratio secundæ partis est, quia præsumptio juris est, conjugem profitentem, altero conjugè invito, voluisse se obligare, quantum potuit, ita, ut si actus non valeat, ut solenne votum Professionis: saltem valeat, quatenus potest, nempe ut votum simplicis continentiae, juxta illud commune pronunciatum. *Si non valet, quod ago, valeat, sive valere potest*: vel si non valeat totaliter, sive quoad totum, valeat saltem quoad partem, *Abb. hic n. 3.* At verò maritus, invitâ uxore, potest se obligare ad debitum conjugij debitum non petat, & ut mortuâ uxore, servet continentiam: quare cum Professio Religiosa ad omnem continentiam se extendat, hæc duo in illa tanquam pars in toto continentur; ideo Jus præsumit, ob favorem Divini cultus, quod maritus saltem hæc duo promittere voluerit, si Professio ejus irrita fuerit, *Laym. Lib. 5. tract. 11. p. 4. c. 7. n. 3. in fine*, quæ tamen præsumptio cessat in foro conscientiae, si conjux profitendo Religionem, intentionem non habuit, vovendi continentiam, nullam dependentem à valore Professionis, tunc enim neque ad servandam perpetuam continentiam obligabitur, *Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 34. n. 2. & 3.*

XVII. Assertio 2. Non tantum si conjux, invitâ, & contradicente altero conjugè: sed etiam invitâ ignorante, Professio in Religione fecit, absolute loquendo, invalida est Professio, ita, ut post mortem illius ad Religionem redire non cogatur, prout statuitur in *c. Placet*; 12. h. t. Nam mulier quodam, putans maritum suum mortuum esse, habitum Religionis assumpsit, & Professionem emisit, postea verò, reverso viro, ex Monasterio educta fuit: Unde quæsitum fuit, an ea post mortem viro, ad Regularem observantiam compelli debeat? Respondet Cælestinus III. quòd licet votum ejus (solenne Professionis) absolute non tenuerit, sive validum non fuerit (quia uxor obligata remansit viro, ad reddendum debitum, *c. 1. c. Una*; 6. *caus. 33. q. 5. Gl. in cit. c. Placet*; 17. *Usquequaque non tenuerit*), tamen obligavit mulierem, quatenus se poterat obligare, promisit enim intrando Monasterium (& suscipiendo habitum Religiosum, animo profitendi) se carnis debitum non exacturam, quod in ejus potestate erat positum: at verò redire ad saeculum, in ejus potestate non fuit, & ideo quantum ad ipsam, tennit votum mulieris, quod post viri obitum, non desit esse validum, cum ad eum casum tunc pervenerit, à quo efficax principium habere poterat. Quare consultus erit mulieri, & ad salutem congruentius, ut ad Monasterium revertatur, in quo cum bona intentione habitum Religionis suscepit, & Professionem fecit. Si verò ad hoc induci non possit, non debet invitâ ad id cogi. Ratio decisionis est, quia quamvis Professio edita à conjuge in Religione, non valeat in

præjudicium alterius conjugis ignorantis, vel non consentientis: valet tamen, quoad præjudicium Pro-
ficientis, in cuius potestate erat, vovere continentiam,
quoad debitum non petendum, & non contrahen-
dum, post mortem hujus conjugis, aliud matrimo-
nium, ut ex dictis patet.

XVIII. Pro declaratione prædictorum 2.
capp. Notandum primò. Licet conjux, qui sine con-
sensu alterius conjugis, Professionem emisit, pec-
cet, cum violet votum simplex continentiae, quod
ex juris præsumptione censetur fecisse, independen-
ter à Professionis valore: tamen matrimonium pos-
tea initum, est validum; quia id votum non fuit so-
lenne: sed simplex tantum, & Professio fuit invali-
da, votum autem solenne esse non potest, nisi in ve-
ra, & valida Professione, vel Sacri Ordinis suscep-
tione, *Abb. in cir. c. Quidam; n. 4. Sanch. Lib. 7. de matr.
dis. 34. n. 5.*

Notandum secundò. Professio facta, sine con-
sensu conjugis, non valet tanquam votum simplex
continentiae, prout dicitur in *cir. c. Quidam; ibi: Vo-
tum non tenuit, unde ratione voti, ad Monasterium non
teneatur redire h. t.* Ubi discrimen ponitur inter votum
castitatis, & votum permanendi in Religione, quod
prius partim obliget, nempe in præjudicium voven-
tis: partim non obliget, quatenus scilicet cedit in
præjudicium alterius conjugis spoliati jure suo. Po-
sterius autem non teneat, si autem partim teneret,
partim non, nullum foret discrimen inter votum ca-
stitatis, & Religionis in ea Professione factum: &
ratio discriminis est, quia votum castitatis patitur di-
visionem, ita, ut vovens, stante matrimonio, non
possit petere debitum; quia ad petendum non obli-
gat matrimonium, teneatur tamen petenti reddere.
At verò conjugatus, durante matrimonio, perpetuò
inhabilis est, ad tradendum se Religioni, siue per vo-
tum simplex, siue solenne; eam utrumque obliget
ipsum, ad abstinendum à conjugio, ideòque Professio
conjugati non valet, nec ut votum solenne, nec ut
simplex, sine consensu alterius conjugis, *Sanch. cir.
dis. 34. n. 10.*

XIX. Notandum tertio. Conjux potest al-
terum conjugem, sine licentia ipsius professum ex
Religione repetere, & revocare, juxta *cir. c. Qui-
dam; 3. c. Placet; 12. h. t.* quia non potest invitus
jure suo privari. Idque procedit, etsi ambo com-
muni consensu continentiam voverint; quia nec
tunc licitum est, sine licentia alterius, ipsis transire
ad Religionem, *Sanch. cir. dis. 34. nu. 6.* Quin imò
conjux, sine consensu alterius, Professus, potest,
cognita nullitate Professionis suae, etiam proprià
auctoritate exire, & Religionem deferere, tamen si
alter conjux ipsum non repetat, ut docet *Abb. in c.
Accedens; 17. num. 3. b. t. Sanch. c. l. num. 15.* idque
videatur colligi ex eod. cap. & melius ex *c. Notificasti;
2. ibi: Non enim violentia, sed ex pari voluntate, &
consensu hoc fieri debet, junct. Gl. fin. c. ex c. Una; 6.
caus. 33. q. 5.* ubi *Gl. V. Corrigenda;* ait, hinc sumi
argumentum, quòd si alter, sine licentia alterius,
intret Religionem, proprià auctoritate potest exi-
re. Ratio est, tum quia Professio fuit irrita: tum
quia etsi bonà fide professus sit conjux, putans al-
terum obiisse, vel etiam sine ejus consensu id sibi

licere, nihilominus tamen potest: imò tenetur (si
commodè potest) proprià auctoritate exire, & se
restituere conjugi, jure suo spoliato: tum denique
quia non potest præsumi consensus conjugis spo-
liati ex eo solum, quòd conjugem professam non re-
vocet; quia potest illam non repetere, ex ignoran-
tia juris sibi competentis, vel vitandæ litis causâ, &c.
Sanch. c. l. nu. 15. Licet contrarium teneat *Gl. in cir. c.
Placet; V. In ejus potestate, h. t. Arg. illius cap. ibi:
Redire verò ad seculum in ejus potestate non erat: sed in
potestate mariti.* Nam id ita intelligendum est, quòd
non erat in uxoris potestate, deserto marito, pro-
fiteri, nec redire ad statum conjugalem: sed hoc esse
in potestate mariti, qui poterat consentire in Pro-
fessionem uxoris: intendit enim ibi Papa probare,
Professionem non tenuisse, etsi votum castitatis fue-
rit validum; quia nimirum in uxoris potestate fuit,
non petere debitum, at manere in Religione, non
erat in ejus potestate: sed mariti, aliàs ratio illa ef-
fet frivola, *Sanch. cir. loc. Zafius in Comment. in Decret.
h. t. n. 6.*

Notandum quartò. Professio emissa, invito,
vel inscio altero conjugis, remanente in saeculo, non
ratificatur per consensum illius ex post facto præsti-
tum: sed opus est, ut de novo profiteatur Religio-
nem; quia Professio ab initio irrita, non potest solo
tractu temporis, convalescere, sine nova ratificatio-
ne, *l. Quod ab initio; 29. ff. de Reg. Jur. Sanch. cir. loc.
num. 16.*

XX. Notandum quintò. Si conjux in saeculo
manens nunquam expresse, vel tacite consensit in
Professionem conjugis sui, quia semper contradixit,
vel semper ignoravit, vel si scivit, non reclama-
vit, quia non potuit commodè contradicere, illo
mortuo, non confirmatur Professio conjugis: sed
necesse est, ut ratificatio viventis conjugis, post mor-
tem alterius conjugis accedat, siue ut nova emitta-
tur Professio; cum prior omnino nulla fuerit, ideò-
que ab initio irrita, non possit convalescere, sine no-
va ratificatione, *Gl. in c. Consuluit; 10. V. Transiens,
h. t. Sanch. cir. dis. 34. nu. 18.* Idemque dicendum,
si conjux Professus, sine consensu alterius, ignorans
mortem illius, in Religione permansit: sed postea
certior de illa factus, vult exire, & resiliere, tunc enim
id potest; quia cum prior Professio fuerit irrita, ad il-
lam requiritur novus consensus, qui non potest poni
in ignorante mortem conjugis, ignorantis enim nul-
lus est consensus, *Sanch. c. l. n. 19.* At verò si con-
jux, qui ignorans mortis alterius conjugis Professio-
nem emisit, postea conscius mortis illius, in Reli-
gione mansit, censetur tacite, & ipso facto ratificare
Professionem; quia qui, cessante impedimento irri-
tante Professionem, nempe soluto matrimonio, sci-
enter in Monasterio permanet, non potest non vide-
ri ratificare, & approbare Professionem, si faciat ea,
quæ ad inducendam tacitam Professionem, post an-
num probationis, requiruntur, & sufficiunt, *Sanch.
c. l. n. 20. Zaf. c. l. n. 9.*

XXI. Notandum sexto. Etsi conjux ingres-
sus sit Religionem sine licentia conjugis: non ta-
men hic etiam potest ingredi, & valide profiteri, si-
ne licentia conjugis prius ingressi, & si ingressus sit,
potest revocari; quia Professio ipsius est etiam in-
valida,

lida, neque delictum prius Professi, quod commisit profitendo, sine licentia conjugis, dat jus alteri conjugii divertendi, seu se separandi à conjugē prius Professo; cum non sit delictum, ob quod licitum sit divortium, & permissum est ingresso, ac Professo, sine consensu conjugis relicti in sæculo, propriā auctoritate ad illum redire, quā potestate nullibi reperitur à Jure privatus, *Sanch. c. l. n. 33. Zaf. c. l. n. 10.*

Notandum septimò. Si uterque conjux Religionem ingrediatur, & profiteatur, non obtentā mutuā licentiā, tum videtur valida utriusque Professio, ita, ut neuter alterum revocare possit; cum neuter possit conqueri se spoliatum ab altero, quia ipso facto consentur sibi mutuā licentiam dedisse. Quod tum demum procedit, si uterque fuerit consensu Professionis alterius; quia non potest videri non consensisse: secus est, si uterque inscius fuit Professionis alterius, tunc enim neutra Professio est valida, & uterque exire potest à Religione, & alterum repetere; quia neuter habuit licentiam alterius, & Professio prioris Professi non potuit esse valida, ob defectum consensu alterius, neque potuit ratificari, sine novo consensu: sed neque posterioris Professio valere potuit; quia cum prioris Professio non valuerit, non potest posterior valide profiteri, sine consensu prioris, *Sanch. cit. dif. 34. n. 24. Zaf. c. l. n. 8.* Non obstat, quòd quilibet conjux seipsum spoliavit, ideòque non possit restitutionem petere; quia conjux etiam seipsum spoliatus potest petere restitutionem, si rediens non admittatur, ex tunc enim censetur spoliatus, *Sanch. c. l.*

§. IV.

An Professio coniugari facta, cum licentia alterius conjugis: sed per metum, aut dolum obtentā, sit valida: Et an etiam, si sit facta, altero coniuge sciente: sed tacente, ac dissimulante, teneat?

XXII. Assertio 1. Si licentia Religionem profitendi ab altero conjugē per metum gravem, & injustum sit extorta, Professio postea secuta est invalida, prout constat ex c. 2. *junct. Gl. V. Licentiam, caus. 33. q. 5.* Ubi cum vir per metum gravem licentiam uxoris, ad profitendum in Religione extorsisset, post Professionem exivit, & quæsit à Papa Alexandro II. an liceret ei uti uxore suā? Respondit Papa, non directè: sed per consequentiam ostendit, talem Professionem nullam esse, ed quòd Professo coniugati, non violentiā: sed communi consensu spontaneo fieri debeat, *Gl. in casu ibid.*

Idem habetur statutum in c. *Accedens*; 17. h. t. » Nam mulier quædam proposuit Innocentio III., » quòd postquam vir eam sibi matrimonio copulasset, idem volens assumere habitum Monachalem, » postulaverit ab eadem, ut tam pio ipsius proposito assentiretur: quæ tandem propter multa verbera, » & alia gravamina sibi à marito illata, asserente se » ipsam dimissurum, petitioni ipsius assensit (invita, » & coacta, ut patet ex præcedentibus, *Gl. hic V.*

Votis); cumque idem vir in Cisterciensi Ordine habitum assumpsisset, mulier in domo Monialium, non assumptum habitu Religionis, neque voto Conversionis, seu Professionis emissio, permansit. Postea dictus ejus maritus, deposito habitu Religionis, ad sæculum rediit, ideòque mulier instanter petiit, ut ab ipso marito reciperetur. Quare Papa mandat Delegato suo, ut si res ita se habeat, dictus vir ad uxorem recipiendam, & affectum conjugalem ei exhibendum, remotā appellatione, cogatur. Ratio est, quia conjugatus non habet potestatem transferendi sui dominium in Religionem per Professionem, sine licentia alterius conjugis, quā is cedat jure suo, licentia autem per metum, seu vim injustam extorta, invalida est, ac similia licentia data fuisset, cum non coacta: sed spontanea, ac libera conjugis voluntas requiratur, *Sanch. Lib. 7. de matr. dif. 35. n. 3. & 8.*

XXIII. Hinc colligitur primò, quòd maritus professus, cum licentia uxoris: sed per metum, aut vim extortā, non peccat, etsi propriā auctoritate iterum exeat; quia Professio ejus irrita fuit, *Abb. in cit. c. Accedens*; num. 3. *Sanch. c. l. num. 5.* & matrimonium ab ipso, post mortem uxoris, cum alio initum, est validum, licet peccet contra simplex votum continentie, *Sanch. c. l. num. 6.* nec possit petere divortium conjugale; quia renunciavit juri suo, quod in uxorem habuit, intrando Religionem, licet teneatur, *Gl. fin. in cit. c. Accedens*; nec teneatur, post mortem conjugis illum revocantis, ad Religionem redire, cum voto Religionis, seu Professionis non obligetur, *Sanch. c. l. num. 4.* imò etsi vir, veniente uxore, non fuerit ab illa revocatus, potest post ejus mortem exire, *Sanch. c. l. num. 7.* quæ omnia patent ex supra dictis.

Colligitur secundò, per hoc, quòd in casu ibi c. *Accedens*; uxor diu tacuit, & virum ex Monasterio non revocavit, non potest censeri ratificatam, seu consensisse in Professionem illius; quia in talibus valde præjudicialibus taciturnitas, ac dissimulatio non habetur pro consensu, aut licentiā data: præsertim quando vis, seu coactio intervenit, *Gl. ibid. Processu temporis*, & *Abb. num. 5.* & hinc etiam in casu ejusdem cap. uxor fuit audita, & ei concessum, ut revocaret virum, non ex eo, quia cum juvenis esset, votum Professionis non emisit: sed quia motu coacta consensit, seu licentiam dedit, *Abb. cit. loc.*

XXIV. Assertio 2. Si conjux, cum licentia alterius conjugis: sed per gravem, & injustum dolum impetratā, Religionem professus fuit, Professio censeri debet irrita, ut docet Jo. Andr. in c. *Ex parte*; n. 4. h. t. & alij, quos citat, & sequitur *Sanch. Lib. 7. de matr. dif. 35. num. 9. & 10.* idque aperte colligitur ex c. *Veniens*; 16. h. t. Nam cum vir quidam olim propositum intrandi Monasterium concepsisset, pluribus Sacerdotibus præsentibus, apud uxorem suam institit, ut assensum impertiri veller: & insuper rogavit Sacerdotes, ne significarent mulieri, quòd etiam ipsam oporteat relinquere sæculum, & Monasterium ingredi, si viro suo daret licentiam ingrediendi Monasterium. Cum autem ipsa virum rogaret, ne ab ipsa discederet, vir asseruit, quòd nisi licentiam ab ipsa obtinere posset, sibi que con-

consentiret, non solum se eidem: sed etiam toti mundo inutilem reddere vellet. Tunc demum ipsa mulier, mariti, & astantium precibus ac fletibus victa, caput illius manu sua Altari suppositur, & ita illa praesente tonsuratur, & Monasterium est ingressus, ac finito probationis tempore, solennem Professionem fecit: mulier verò in saeculo manens cum viris inhonestis adulterata fuit. Super hoc casu consultus Innocentius III. à marito, an in Monasterio licet permanere possit? Respondit Papa, & mandat quibusdam super hac causâ delegatis, ut si ita se res habeat, sicut narratum est: praedictum virum, in Monasterio, quod intravit, liberè permanere permittant: Nam licet non modicum deliquerit, captiosè mulierem circumveniendo, ut assensum daret; quia tamen ipsa caput viri sponte Altari supposuit, & postea continenter vixit, maritum revocare non potest; cum ipsius intentio ac petitio per exceptionem commissæ fornicationis seu adulterii elidi possit: praesertim cum antea fornicata esset, maritum ex Monasterio repetere, ac revocare intermiserit. Ex quo aperte colligitur, quod mulier ista jus & actionem habuerit, revocandi maritum, eod quod captiosè seu dolo inducitur, ad consensum seu licentiam dandam marito ingrediendi Religionem, ac profitendi, & sic consensus ejus, ac licentia data non fuit valida; quia per dolum impetrata: fuit tamen petitio ipsius per exceptionem repulsa, propter adulterium, seu fornicationem admissam, ac proinde si fornicata non fuisset, maritum revocare potuisset; quia non sponte, sed dolo inducitur consensus, *Abb. in cit. c. Veniens; num. 4. contra Gl. ibid. V. Captiosè; & dicit, quod si continuisset, fuisset audita, revocans maritum, eod quod non promiserit intrare Religionem, nec etiam continentiam perpetuam voverit, cum esset juvenis, cujus contrarium ead. Gl. asserit in c. Uxoratus; 8. V. Nullatenus; h. t. Ubi ait, quod uxor non possit repetere virum ex Monasterio; quia renunciavit juri suo, dando licentiam.*

XXV. Hinc sequitur primò. Quod Professio conjugis facta, cum licentia alterius dolo impetrata, sit ipso jure nulla, ut docet *Innocent. in cit. c. Veniens in princ. & Joann. Andr. ibid. num. 2. Sanch. cit. dif. 35. num. 10.* Quia licentia dolo extorta, fuit ipso jure irrita. Nam quamvis dolo non vitiet Professionem, sicut nec matrimonium carnale, nisi contingat circa substantiam Professionis; quia tunc solum tollit liberum consensum: non autem si versetur tantum circa accidentalialia, tunc enim etsi quis dolo inducitur sit, ad meliorem vitam seu statum perfectiorem eligendum, non obest dolo; quia non tollit liberum consensum, ut docet *Sanch. Lib. 10. de matr. dif. 9. num. 20. & 21.* At verò aliud dicendum est, de licentia per dolum injustum extorta, ab altero conjugis; ea enim talis esse debet, per quam conjux liberè cedat jure suo, illudque remittat: dolo autem liberum consensum tollit, quoad ipsam cessionem, sive remissionem juris conjugalitatis, si enim dolo abfuisse, alter conjux non consensisset, ideoque talis licentia per dolum obventa, est irrita, & consequenter etiam ipsa Professio. Quare neque vim simplicis voti Religionis habet talis Professio: sed solius continentiae, seu castitatis, ita ut villius debitum petere non possit talis Pro-

fessus conjux, nec post mortem conjugis aliud matrimonium licetè inire, etsi initum validum foret, *Sanch. cit. dif. n. 10.*

Sequitur secundò. Quod cum tali casu Professio conjugati sit irrita, ipse sponte ex Religione exire possit. Sed neque talis Professio ab initio nulla, propter conjugis in saeculo manentis adulterium, vel per mortem illius convalesceret: nisi novus consensus seu rati-habitio prioris Professionis accedat, cum aliis requisitis, *Suar. c. l. n. 11.*

XXVI. Assertio 3. Si conjux, altero conjugis nec expressè consentiente, nec positivè dissentiente aut repugnante: sed tacente aut dissimulante, Religionem professus sit, ea Professio quidem invalida est, quia licentia seu consensus alterius conjugis non intervenit; cum taciturnitas seu dissimulatio in rebus magni praedicii non habeatur pro consensu: attamen si conjux in saeculo manens conjugem Professum in vita non revocavit: sed semper tacuit, & dissimulavit, eo mortuo, ipso facto, veluti impedimento matrimonii sublato, validari Professionem & ratam effici, plerique *Od. tradunt apud Sanch. Lib. 7. de Matr. dif. 35. num. 15.* Idque probant ex *c. Consuevit; 10. h. t.* Ubi cum quaesitum fuisset ex *Clemente III.* an si vir ad Religionem transiit, & in ea ultra annum permanet, sit, & postquam ad domum transiit Regularem, (non uxor, sed ipse maritus, *Gl. hic V. Transierat;* hoc est, Professionem regularem emisit) uxor mortua sit, ipse vir habitum saecularem iterum assumere, & aliam uxorem ducere, vel ductam retinere, possit? Respondet Papa, quod vir ille nec habitum Regularem, quem assumpsit, abjicere: nec aliquam sibi matrimonio jungere possit: quod si matrimonium contraxit, illud dirimendum esse, quem *Textum Gl. marg. hic lit. C. & Abb. n. 1. Navarr. Lib. 3. Conf. 5. n. 5. h. t. & alii communiter,* apud *Barb. hic n. 2.* ita intelligunt, quod Professus Religionem, sciente, & tacente, seu dissimulante uxore, eam mortuam, ad saeculum redire non possit: sed in Religione permanere debeat, eod quod uxor, tacendo usque ad mortem, consensisse videatur.

XXVII. Verum probabilius est, tali casu Professionem viri, per solam mortem uxoris in vita tacentis, nec revocantis maritum, non fieri validam: sed requiri ut uxor mortuam, vir per novum consensum Professionem prius à se invalidè emissam ratificet, ut docet *Gl. in cit. c. Consuevit; V. Transiens; Innocent. in fine ibid. Sanch. c. l. Ratio est,* quia cum prior Professio fuerit irrita, ob defectum licentiae uxoris, non potest ea postea convalescere, nisi novus consensus expressus, vel tacitus, adeoque nova Professio, ad cujus formam substantialem pertinet consensus, accedat: sicut idem etiam requiritur, ad matrimonium carnale, quod prius irritum fuit, revalidandum, ut docet *Sanch. Lib. 2. de matr. dif. 35. num. 2. & alii apud ipsum.*

Porro ad hoc ut conjux invalidè professus, ob defectum datae licentiae ab altero conjugis, censetur ratificare velle Professionem, duo sunt necessaria. Primò, ut Proficiens sciat priorem Professionem, ob hunc defectum, fuisse invalidam, ut docet *Navarr. Lib. 3. conf. 28. n. ult. de Regular. Sanch. Lib. 1. de matrim. Disput. 16. n. 7.* Secundò, ut sciat quoque impedimentum matrimonii per mortem conjugis sublatum

jam esse, *Sanch. Lib. 2. de matrim. Disp. 36. n. 3.* Ratio utriusque est; quia non potest quis velle ratum habere id, quod ignorat esse invalidum, nam si quis putet matrimonium, vel Professionem validam fuisse, non habet ullam causam, cur velit novo consensu illam ratificare, cum supponat jam prius illam esse validam, adeoque novâ ratificatione, seu consensu non indigere. Si vero sciat Professionem esse invalidam, nesciat autem impedimentum, per mortem conjugis in sæculo relictæ, esse sublatum, non potest habere animum ratificandi Professionem, cum non possit velle id, quod putat jure non esse possibile.

Quare dicendum est cum *Gl. in cit. c. Consultui, V. Transiens in 2. Resp. h. t.* quod in casu illius cap. maritus, qui Professionem emisit, sine debita licentia uxoris, illam, cognita ejus morte, ratam habuerit, saltem tacite ipsòque facto, dum non reclamavit, nec verbis, nec ullo signo: sed non modico tempore in Religione perseveravit, & actus Professorum proprios exercuit, ideòque ad sæculum redire non potuit, nec aliud matrimonium inire: Er hinc non obstat *Concil. Trident. Sess. 25. c. 19. de Regul.* Ubi conceditur quinquennium, ad allegandum, & probandum Professionem editam, fuisse nullam; quia ex eo, quod quis perseveravit in Religione non modico tempore, v. g. per unum annum, non potest præsumi, illum ratificasse Professionem: sed quod post illud tempus, nemo in externo foro audiendus sit, si probare velit, Professionem à se editam, fuisse nullam. Si vero intra quinquennium alleget quis causam, ob quam Professio sit nulla, Judex de illa cognoscere debet, & examinare, an ea per subsequentem ratificationem fuerit purgata, necne.

§. V.

An votum simplex continentie ab uno coniuge, cum licentia alterius, post matrimonium consummatum, vel ab utroque communi consensu emissum, sit validum, ac licitum, & ad quid obliget?

XXVIII. Assertio 1. Si uxor perpetuam continentiam vovit, cum consensu viri, ad tempus tantum, ita ut ipse perpetuam continentiam non voverit, transacto eo tempore, uxor compelli debet, ad cohabitandum viro, & conjugii debitum reddendum, ut constat ex *c. Charissimus; 11. h. t.* Nam uxor Regis Sueviæ (in quibusdam Codicibus legitur Scotiæ; in aliis Sueviæ) gravi infirmitate detenta, continentiam vovit, cui etiam vir ejus Rex consensum dedit, ad tempus (forte ad annum, vel donec esset sanata) sed cum illa sanitati restituta esset, marito cohabitare matrimonialiter recusabat. Consultus super hac re Cælestinus III. Respondit, & mandavit: si dictus Rex consensum tantum ad tempus præbuit, maxime si ipsemet perpetuam continentiam non vovit; Reginam compellendam esse, ut Regi cohabitaret, & se mutuo maritali affectu tractent. Ratio est, quia licet uxor obligetur ex voto continentie edito, etiam sine consensu mariti in proprium præjudicium, ita ut conjugii debitum exigere non possit: non tamen potest

vovere castitatem, cum præjudicio mariti, nisi is consentiat, & juri suo renunciaret, *c. 1. & seqq. caus. 33. q. 1.* cui in casu proposito, tantum ad tempus, Rex renunciavit, ideòque saltem eo elapso, potuit conjugem cogere, ad reddendum debitum.

Ex quo per sensum contrarium colligitur, quod si Rex non ad tempus tantum: sed absolute, & in perpetuum consensisset in votum uxoris, cum proposito nunciandi juri suo, non potuisset Reginam compellere, ad cohabitandum, & debitum reddendum, ut tradit *Gl. in c. Manifestum; 11. V. Nisi auctor cit. caus. 33. q. 5. & ibid. Gratianus §. Ex præmissis;* ubi ait, *Quod continentia vota, nec mulier, sine consensu viri, nec vir, sine consensu mulieris, Deo reddere potest. Laym. Lib. 4. Tract. 4. c. 7. n. 15.* Quamvis contrarium teneat *Abbas in cit. c. Charissimus; n. 5. h. t. & Sanch. Lib. 9. de matrim. disp. 40. n. 17.* Ubi ait, quod vir possit irritare votum castitatis ab uxore factum, cum licentia sua. Sed contra est, quia quod attinet ad usum Conjugii, maritus & uxor ad paria judicantur, sive æquali jure gaudent, cum non minus uxor habeat potestatem in corpus mariti, quam vice versa, teste Apostolo *1. ad Cor. 7. 4.* Ubi uxorem viro æquiparat dicens: *Similiter ac & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Ratio est, quia sic servatur æqualitas & justitia communis matrimonialis: quare si unus conjux, sive vir, sive uxor, semel alteri dedit facultatem, vivendi castitatem, absolute, & simpliciter, ac in perpetuum, cesset renunciare juri suo, quod in ipsum habuit; quia absoluta castitas non possit servari, cum obligatione reddendi debitum conjugale, ideòque datam licentiam revocare non potest.* Veruntamen quoad gubernationem domus, & alia, præter debitum conjugii, uxor subdita esse debet marito, tanquam capiti suo, ideòque si uxor, etiam cum consensu viri, abluentiam à carnibus, vel longam peregrinationem vovit, potest maritus irritare votum ipsius, ut ab uxore non possit amplius impleri; quia dando licentiam, non censetur se abdicasse potestatem suâ gubernativâ, adeòque etiam prohibendi, quod prius concesserat, *Laym. c. l. n. 14.* & alii communiter, & habetur etiam apud Gratianum in *cir. §. Ex præmissis.*

XXIX. Ubi Notandum prætereà primò. Cum in *cir. c. Charissimus;* dicitur, *maximè si non idem vir continentiam vovit perpetuam, particula maximè accipitur, non inclusivè, ita ut etiam ea, quæ præcedunt includantur: sed accipi debet exclusivè, id est, tantum ut notat *Gl. fin. ibid. & Innocent. ibid.* ita ut sententiæ quod non obstante eo, quod Rex ad tempus consensum dederit, modò perpetuam continentiam non voverit, Regina compelli debeat, ad cohabitandum, si Rex id petat.*

Notandum secundò. In casu ejusdem cap. ut tempus, ad quod Rex consensit in votum uxoris, jam elapsum fuit, & potest indubitatè debitum rursus exigere: vel nullum certum tempus designavit: sed tantum dixit, contentum se esse, ut voveret ad tempus, adeòque sibi liberum esse, licentiam datam revocare, quandoquæque voluerit, ut indicat *Joann. Andr. ibid.* alioquin verò, si maritus uxori voventi continentiam ad certum tempus, v. g. per quadragessimam, consentiat, animo renunciandi juri suo, tum non potest datam licentiam revocare, saltem licitè; quod enim juris est de toto, quoad totum: idem est de parte, quoad

ad partem : uxor tamen tenetur viro revocanti licentiam, reddere debitum, *Abb. in cit. c. Charissimus* ; num. 5.

XXX. Assertio 2. Si maritus & uxor, adeoque ambo perpetuam continentiam, mutuo consensu, voverunt, ad observationem voti ambo sunt obligati, ita ut neuter votum revocare possit, *juxta c. Quod Deo* ; 4. *caus. 33. q. 5.* ubi dicitur : quod Deo, pari consensu, ambo voveratis, usque in finem reddere debuistis : à quo proposito, si ille lapsus est, tu saltem instantissime persevera. *Abb. in cit. c. Charissimus* ; num. 6. & neuter potest petere, aut reddere debitum, sine violatione voti & gravi peccato ; quia uterque renunciavit omni juri conjugali, quod in alterum habebat quoad debitum, *Sanch. Lib. 9. de matr. disp. 37. n. 10. Laym. cit. l. 7. n. 16.*

§. VI.

An, si coniuges, qui mutuo consensu continentiam voverunt, uterque, vel alter eorum Religionem profiteatur, possit unus alterum repetere, seu revocare?

XXXI. Ad hanc questionem respondetur negative, prout sumitur ex *c. Dudum* ; 2. l. h. t. Ubi quidam maritus contra uxorem suam licem movit coram Auditore à Gregorio IX. dato. Is proposuit, quod mulier, cum qua matrimonium contraxerat & consummaverat, indebitè recufaret ipsi matrimonio adherere, ideòque eam sibi restitui postulat. Ad quod ex parte mulieris fuit responsum, quod ipse vir, pro animæ suæ salutè, presentibus duobus Sacerdotibus Religiosis, & adhibitis quinque testibus fide dignis, omni juri, quod in mulierem habuerat, purâ, & spontaneâ voluntate penitus renunciârit, & illud resignârit, in manibus alterius Sacerdotis, qui nomine Ecclesiæ resignationem hujusmodi recepit, quod idem vir castitatem se servaturum promiserit, & pauperam Hospitalis de Pontate obsequio se devoverit, solenni edito voto, ac promissione : & datâ insuper licentiâ mulieri monasterium intrandi : sed & ipsâ vicissim promittente, ac licentiam dante viro, & omne jus, quod in illo habebat, resignante, prout hæc omnia per instrumentum publicum manu Notarii confectum probata sunt. Verùm dictus maritus opposuit, quod casu amisso prædicto instrumento, aliud formatum sit in prima persona, cum prius in tertia fuerit, atque plura verba in uno inserta sint, quam in altero fuerant. Addebat, quod cum mulieri iratus esset, prout verba & verbera indicabant, nondum quiescente calore iracundiæ, & à quibusdam deceptoribus illectus, promiserit, ac se devoverit Hospitali, quia asserebant, quod in illo cibus ad libitum vesci, & proprium retinere posset : sed & dictum Notarium promississe, quod in eodem Hospitali ardorem, quin & appetitum libidinis extinguere posset, & id eo quicquid hac in re fecisset, id factum fuisse, sub spe promissionis, & sub ea conditione, ac modo, si continentiam servare posset. Verùm contra hæc vicissim opponebatur, utrum Tabellio in pri-

ma persona (v. g. concedo hanc rem) vel in tertia (v. g. Titius contrahens concessit hanc rem) instrumentum confecerit : dummodò substantia veritatis non sit mutata, etiamsi eadem prorsus verba non ponantur, quæ in priore instrumento erant posita, nihil interesse. Insuper tamen dicto marito spes aliqua, quâ se illectum ait, facta fuerit : eo tamen tempore, quo res ista coram Sacerdotibus & testibus gesta fuit, ipsum purè, simpliciter ac voluntariè pro amore Dei & salutè animæ suæ processisse ad vovendum, ideòque obligatum esse, ut à consortio secularium hominum separatus vitam mutet, cum se ejus ætatis esse, asserat, ut sine suspitione incontinentiæ in sæculo remanere non possit. His uttinque propositis, Papa Gregorius IX. ex consilio Cardinalium, mulierem ab impetitione mariti per sententiam absolvit, perpetuò eidem silentium indicens.

XXXII. Hinc colligitur primò. Quod conjuges possunt, mutuo consensu, continentiam vovere, & renunciare sibi invicem omni juri conjugali, quod unus in alterum habet, salvo tamen manente substantiali vinculo matrimonii, & factâ solum separatione quoad torum, & cohabitationem, *Abb. hic n. 3.*

Colligitur secundò. Si maritus petat sibi restitui uxorem, quæ ab ipso recessit, tanquam spoliatus : uxor verò excipiat de renunciatione per votum continentiae, mutuo consensu, editum : vi cuius uterque renunciavit juri tam petendi, quam reddendi debitum, & ad hoc incontinenti probandum se offerat : hoc casu, uxor marito illam repetenti restitui non debet : sed prius de causa proprietatis cognosci, eaque examinari debet, *Jo. Andr. hic n. 2.* Idque quia periculum subest violandi votum, si restitutio statim fieret, præsertim si conjux, vel uxor, quæ repetitur, Religionem ingressa, & professa fuerit, tunc enim multò minùs repeti, & revocari potest, *Privian. hic in Ration. & Barb. num. 1.*

Colligitur tertio. In casu *cit. c. Dudum*, etiam maritus compellendus erat, ad ingrediendum Religionem, si adhuc juvenis fuit, & suspectus de incontinentia, maxime si hoc promiserit, *Gl. fin. hic & Barb. ibid. num. 1.* & patet ex supra dictis : quod autem in eod. c. Papa non mandavit, ut maritus Religionem ingrederetur, causa fuit ; quia hoc ab ipso non petebatur : sed solum ut mulier ab impetitione mariti libera pronunciaretur.

§. VII.

An, si unus coniugum adulterium commisit, possit alter coniux innocens licitè transire ad Religionem, vel Ordines sacros suscipere, etiam ad altero invito?

XXXIII. Assertio 1. Si uxor recedens à viro suo alteri adhæreat, & adulteretur, potest maritus innocens Religionem ingredi, & in ea profiteri, invitâ adulterâ, ita ut ab hac revocari nunquam possit, prout habetur in *c. Constitutus* ; 15. l. h. t. Nam quidam Acolythus puellam aliquam in facie Ecclesiæ in uxore

» rem duxit. & matrimonium consummavit: postea
» verò orat, inter ipsum & puellæ amicos, controver-
» siâ, ipsa alteri cuidam viro copulata fuit. At verò
» dictus Acolythus usque ad Sacerdotii gradum pro-
» motus fuit, ac demum conscientia eum remorden-
» te, Ordinis Cisterciensis habitum assumpsit. Re-
» hac intellectâ, Innocentius III. Episcopo cuidam
» mandat, ut si res ita se habeat, prædictam mulie-
» rem ab altero viro, cui per adulterium conjuncta
» est, recedere, & ne priorem conjugem jam Mona-
» chum effectum impediatur, quò minus Regulare vo-
» tum, siue Professionem suam adimplere possit, per
» censuram Ecclesiasticam compellat. Idem sumi-
» tur ex c. *Agathosa*; 21. *caus.* 27. q. 2. & ex c. *Veniens*; 16. h. 1. Ubi dicitur, quòd non possit revocari mari-
» tus professus Religionem, cum licentia uxoris, per me-
» tum, vel dolum extortâ, si ipsa postea fuerit fornicata,
» & vir professus sit innocens, cum ipsius intentio ex-
» ceptione commissæ fornicationis elidi possit, ut su-
» præ dictum. Ratio est, quia licet per adulterium
» non dissolvatur matrimonium, quoad vinculum, si
» inter conjuges fuit consummatum, adulter tamen
» amittit omne jus conjugale, quoad torum, & cohabi-
» tationem, quòd solum impedimento erat conjugii in-
» nocenti, quòd minus Religionem ingredi, & in ea pro-
» fiteri posset, *Sanch. Lib. 10. de matr. dif. 10. n. 2.* ubi n. 3.
» addit, quòd conjux innocens etiam simplex votum ca-
» stitatis edere possit, invito adultero; quia hic cum jus
» exigendi debitum non habeat, id prohibere non po-
» test, *Laym. c. l. n. 12.*

XXXIV. Assertio 2. Quando viro licitum est,
transire ad Religionem, invitâ adulterâ, tum etiam
vir innocens, invitâ uxore adulterâ, Sacros Ordines
suscipere potest, nisi aliud obstat, ut quia vir est bi-
gamus, vel aliâ irregularis. Idque sumitur ex *cir. c.*
Constitutus; in quo Acolythus ille ad gradum Sacerdo-
tii fuit promotus, quòd bene fieri potuit, quia uxor
illius publicè fuit adulterata, ideòque amisit omne jus,
quòd in eum habebat, *Gl. ibid. V. Ad gradum Sacer-*
dotii, & Abb. n. 5. Sanch. cir. dif. 11. n. 6. & alii apud
ipsum. Nec refert, quòd in casu *cir. c. Constitutus*;
Acolythus ille, cum remorsu conscientia, sine licen-
tia uxoris adulteræ, fuerit Sacerdotio initiatus: nam
scrupulus ille vanus fuit, & sine sufficiente funda-
mento, potuit enim ad Ordines Sacros promoveri, si-
ne uxoris licentia, propter ejus adulterium, *Sanch. c.*
l. n. 17.

XXXV. Notandum hic præterea primò. Ad
hoc, ut vir possit profiteri in Religione, vel ad Sa-
cros Ordines promoveri, invitâ adulterâ, ita ut ab il-
la revocari non possit, non sufficit adulterium occul-
tum, saltem in foro externo: sed requiritur, ut sen-
tentia divortii præcesserit, vel ut adulterium ita publi-
cum sit, ac notorium, ut conjux innocens, etiam non
expectatâ sententiâ divortii, propriâ auctoritate, pos-
sit deferre cohabitationem adulteræ, sine metu resti-
tutionis; quia tunc hanc facultatem habet ab ipso Deo,
c. 2. caus. 32. q. 1. & pater ex c. 19. *Matth.* Ubi Chri-
stus dicit, quòd uxor dimitti non possit, nisi ob forni-
cationem, *Abb. in cir. c. Constitutus*; n. 4. & in c. *Gau-*
demus; 19. n. 5. h. 1. *Sanch. c. l. n. 5. & 10.*

Notandum secundò. Si Conjux innocens sta-
tum non mutavit, non potest adulter, sine expressa

vel tacita ipsius licentia, Religionem profiteri, vel Sa-
crum Ordinem suscipere, etiam si institutum sit di-
vortium, alioquin etiam post Professionem revoca-
ri poterit conjux adulter; nam cum conjux innocens
habeat jus, sibi reconciliandi adulterum, etiam que re-
vocandi, non potest huic juri ipsius, eo invito, per Pro-
fessionem, vel Ordinis susceptionem adulteri perju-
dicari, *Sanch. Lib. 10. de matr. dif. 10. n. 12. & Laym.*
Lib. 5. Tract. 10. p. 3. c. 7. n. 12.

Notandum tertio. Potest conjux adulter, cum
licentia expressa, vel tacita innocentis, transire ad Re-
ligionem, vel Sacros Ordines suscipere, etiam si insti-
tutum sit divortium: & tamen si conjux innocens Re-
ligionem non ingreditur, nec votum castitatis emit-
tat: sed in sæculo maneat, sine ullo voto; quia jura,
quæ prohibent mutationem status, ex parte unius
conjugis, altero manente in sæculo, saltem sine vo-
to castitatis, loquuntur in casu, quo matrimonium
integrum & illatum permanet: non in casu, quo per-
petuum divortium est institutum inter conjuges. Nam
cum conjux innocens sit liber ab obligatione reddendi
debitum conjugale, potest ad Religionem transi-
re, vel Ordines suscipere, etiam si conjux adulter
statum non mutet. Quòd verò adulter non ita li-
berè possit ingredi Religionem, vel Ordines susci-
pere, id fit ob favorem innocentis, ne jure recon-
ciliandi sibi adulterum conjugem, mutato statu illius,
privetur: quare si huic favori suo renunciet conjux in-
nocens, quia de consensu ipsius expresso, vel tacito ap-
paret, potest conjux adulter liberè ingredi, & in illa
profiteri, vel Ordines etiam Sacros suscipere, *Sanch. cir.*
dif. 10. n. 15.

XXXVI. Cæterum prædictis addendum, est
si maritus, qui se ab uxore adultera separavit, non
teneatur illam, etiam emendatam recipere: laudabi-
liter tamen facit, si post emendationem, ex chari-
tate illam recipiat, ideòque de hoc monendus est
ab Episcopo, licet ad id compelli non possit, ut
colligitur ex c. *Gaudemus*; 19. h. 1. & tradit *ibid. Gl.*
V. Ceciderunt; & *Abb. n. 3. & 4.* & constat etiam
ex c. *Significasti*; 4. de divortio. Quòd si maritus in-
nocens, postquam monitus, & rogatus fuit, ut ad-
ulteram conjugem post emendationem recipiat, id
facere nolit: tum uxor in Monasterium includi de-
bet, ad perpetuam poenitentiam ibi agendam, pro-
ut habetur in *cir. c. Gaudemus*; ubi Gregorius IX.
rescribit, & præcipit, ut mulieres, quæ relicto ma-
ritali toro, in adulterium lapsæ sunt (& de eo per
sententiam Judicis condemnatae, vel publicè inco-
deprehensæ sunt, *Gl. hic V. In claustris*;) si eorum
mariti, postquam ab Episcopo loci diligenter mo-
niti sunt, eas, etsi ad frugem melioris vitæ sunt con-
vertæ, recipere propter Deum noluerint, in Clau-
stris cum Religiosis mulieribus collocentur, ut per-
petuam poenitentiam ibi agant.

Idque etiam Jure Civili in *Auth. Sed hodie*; C.
Ad leg. Jul. de adulter. in penam delicti statutum
est, nempe, ut mulier adultera prius verberata in mo-
nasterium mittatur, quam intra biennium viro recipere li-
cet: quo transacto, vel viro, priusquam eam reducant, si
revocaret, mortuo, adultera tamen, monastico habitu in-
cepto, ibi dum vivit, permaneat. Quamvis non sit
Monacha, cum habitus non faciat Monachum vel Mo-
nacham.

nacham, Gl. ibid. V. *Habitu*; junct. Gl. marg. Sed hæc hodie ferme observari non solent.

XXXVII. Porro si hoc casu conjux innocens semel iterumque (juxta prudentis arbitrium) monitus, nolit adulteram conjugem, post emendationem, recipere, potest adulter Religionem ingredi ac profiteri, vel etiam Ordines Sacros suscipere, ita ut post Professionem, vel Sacerdotium ab innocente conjugē revocari non possit. Ratio est, quia tunc conjux innocens videtur tacite concedere licentiam mutandi statum adultero, solum enim innocens habet jus adulteram recipiendi, & revocandi ad pristinum utrumque matrimonii: si autem id nolit, etiam post emendationem adulteri, tunc irrationabiliter negat illi reconciliationem, & mutationem status, adeoque adultero liberum erit, transire ad statum Religiosum, vel Sacerdotii, vel etiam simplex castitatis votum emittere, nec postea potest ab innocente revocari; quia res jam non est integra, nec is conqueri potest, qui sæpe monitus noluit illum recipere, *Sanch. cit. dif. 10. n. 16.*

§. VIII.

An propter adulterium spirituale, videlicet Apostasiam à Fide, sive hæresin, in quam unus conjugum lapsus est, possit alter coniux, non solum se ab illo separare: sed etiam, eo invito, Religionem ingredi, & in ea profiteri, vel Sacros Ordines suscipere?

XXXVIII. Assertio 1. Si unus conjugum infidelis, aut hæreticus notoriè factus sit, potest alter in Fide persistens, etiam propriâ auctoritate, se ab eo separare, si pertinax sit, & resipiscere nolit: imò jure naturali, ac Divino ad id obligatur, si ex cohabitatione periculum perversiois sibi, vel liberis suis imminere videat; cum jus naturæ præcipiat, vitare proprium animæ periculum, idque convenienter Apostolo ad Titum 3. *hæreticum hominem, post unam & secundam correptionem (quæ proinde admonitio, seu correctio præcedere debet divortium) devita.* Idque constat etiam ex c. *Idololatria*; 5. & c. *seq. caus. 28. q. 1. & c. ult. h. t. & c. 2. c. De illa*; 6. & c. *seq. de divort.* & ex communi tradit *Sanch. Lib. 10. de matr. dif. 15. n. 5. 6. & 10.*

XXXIX. Assertio 2. Si conjux in infidelitatem, aut hæresin lapsus, judicio Ecclesiæ damnatus sit, sive per legitimam sententiam Judicis Ecclesiastici, hæreticus sit declaratus, idèque alter conjux fidelis ab eo sit separatus: non tantum conjux innocens, seu Catholicus liberatur ab obligatione reddendi debitum conjugale, arg. c. *ult. de hæret.* sed etiam si alter conjux ad Fidem Catholicam revertatur, eo invito, Religionem ingredi, & in ea profiteri potest, prout statuitur in c. *Mulier*; 21. & *ult. h. t.* Ubi Gregorius IX. ita rescribit: *mulier, quæ in Fide remansit, potest, nolente viro, qui ab infidelitate rever-*

titur, propter quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad Religionem liberè convolare, seu transire.

XL. Assertio 3. Si uxor hæretica per Ecclesiæ judicium sit damnata, potest vir Catholicus, non tantum Religionem ingredi: sed etiam Sacros Ordines suscipere, etiam invitâ conjugē hæreticâ, sicut potest ob carnale adulterium uxoris, arg. *cit. c. Constitutus*; h. t. cum tunc etiam licitum sit conjugi Catholico absolutum & perpetuum divortium instituire, *Sanch. cit. dif. 15. n. 21.*

XLI. Notandum hæc præterea primò. Sunt, qui putant conjugem fidelem, propriâ auctoritate, à conjugē infideli, aut hæretico recedentem, obligatum esse, conjugem hæreticum, etiam per sententiam condemnatum, post ejus pœnitentiam & emendationem, recipere: Si verò præcedente judicio Ecclesiæ ab illo discessit, ad id non esse obligatum, si velit Religionem ingredi, secus si velit in sæculo manere, ut tradit Gl. in *cit. c. ult. V. Indicio Ecclesiæ*; h. t. & alii apud *Sanch. Lib. 10. de matr. dif. 15. num. 18.* Idque probari videtur, tum quia in *cit. c. ult.* etiam uxor, quæ judicio Ecclesiæ separata fuit à viro, in hæresin lapsa, si is revertatur ad Fidem, non est omnino libera à jugo & obligatione conjugali, nisi Religionem ingrediatur: ergo à contrario sensu, si is non ingrediatur: sed in sæculo maneat, non omnino eximitur: sed conjugem hæreticam emendatam recipere debet. Tum quia Christus *Matth. 19.* ait, quod propter solam fornicationem conjugem dimittere licitum sit, videlicet absolute & in perpetuum.

Verum probabilis, & rectius distinguitur, utrum divortium seu separatio conjugis fidelis ab infideli seu hæretico, sine judicio Ecclesiæ, ac propriâ auctoritate, sit facta: an verò cum Ecclesiæ auctoritate, & per sententiam latam divortium sit institutum? Nam priore casu, tenetur conjux Catholicus conjugem resipiscentem, seu ab hæresi revertentem mox ad confortium conjugale recipere, & ad id compelli debet: in posteriore verò casu, conjugem per sententiam semel ob hæresin condemnatum, etiam emendatum non tenetur recipere: sed potest liberè & in perpetuum ab eo separatus manere, prout expressè deciditur in c. *De illa*; 36. de *divort.* sicut posset, ob adulterium carnale ab altero conjugē patratum, *Sanch. cit. dif. 15. n. 19. Laym. c. Lib. 5. Tract. 10. c. 7. §. Contrariam tamen*; & alii plures apud *Sanch. c. l.* Idque satis apertè colligitur ex *cit. c. ult. h. t.* Nam ibi in pœnam hæretici per judicium Ecclesiæ damnati, uxori Catholicæ conceditur facultas, liberè transeundi ad Religionem, ac proinde ad id cogenda non est: sed optio seu electio ei relinquitur, num velit Religionem ingredi, an verò malit in sæculo vivere, separata à conjugē ab hæresi ad Fidem reverso. Quare Pontifex in *cit. c. ult.* non dixit, conjugem fidelem posse, etiam nolente viro ad Fidem reverso, liberè transire ad Religionem, quasi velit restringere illam facultatem divertendi à viro, sive illum etiam emendatum non recipiendi, ad illum casum solum, quo transierit ad Religionem: sed exprimens casum difficilioris, supposuit minùs difficilem? si enim solum dixisset, conjugem Catholicum exemptum esse, ab obligatione reddendi debitum conjugale, non inde

sequeretur, quoddam etiam licite possit transire ad Religionem, potest enim conjux, ratione contracta affinitatis, vel cognationis spiritualis, perdere jus exigendi debitum, ita ut alter reddere ei non teneatur: & tamen non ideo talis, qui est liber à reddendo debito, potest licite transire ad Religionem. At verò dum S. Pontifex dicit, conjugem Catholicum libere posse ingredi Religionem, supponit, necessarium illum esse absolute exemptum ab omni obligatione conjugali, non tantum reddendi debitum: sed etiam cohabitandi, hæc enim obligatio obstat ingressui Religionis, per quam impediretur executio prioris obligationis cohabitandi jure debita, *Sanch. c. l.*

Confirmatur, quia Ecclesia potest in pœnam hæresis privare aliis juribus hæreticos, *juxta c. ult. de hæretic.* ergo etiam illo jure, quod conjux habet in corpus conjugis. Neque verba Christi *Matth. 19.* sunt contraria: Nam propter solam fornicationem dimitti potest conjux quoad torum & cohabitationem, absolute & in perpetuum, ita ut conjux per seipsum dimittere possit adulterum ex natura, & legibus contractus matrimonialis, *Laym. c. l.* Ubi addit, quoddam Ecclesia, si id necessarium judicet, ad vitandum periculum animæ, præcipere possit conjugi Catholico, ut conjugem hæreticum ad Fidem reversum ad consortium conjugale recipiat.

XLII. Notandum secundò. Ad hoc, ut conjux fidelis licite transire possit ad Religionem, non opus est, ut hæreticus damnatus, si reversus sit ad Fidem, etiam ad Religionem transeat, vel votum continentia edat in sæculo; tum quia per facultatem concessam conjugi Catholico, non debet inferri vis aliqua conjugi hæretico resipiscenti: tum quia in *c. ult. h. t.* dicitur, conjugem in Fide persistentem libere transire posse ad Religionem, quod libere non posset, si requireretur, ut etiam transeat conjux hæreticus, ad Fidem conversus, si enim hic nollet profiteri, nec Catholicus posset: neque etiam alter cogi potest ad profitendum, cum Professio debeat esse libera, *Sanch. c. l. n. 22.*

XLIII. Notandum tertio. Etsi *Joann. Andr. & Abb. in cit. c. ult. n. 3. h. t.* & alii plerique Canonistæ existiment, quoddam si unus conjugum ob hæresin per sententiam sit damnatus, alter verò conjux sit fornicatus, sive adulterium commiserit, delictum compensari possit cum delicto, ideòque adulter compelli debeat ad recipiendum conjugem ad Fidem reversum: Contrarium tamen est probabilius, ut docet *Sanch. Lib. 10. de matr. dis. 16. num. 3.* nempe compensationem non habere hunc locum; quia injuriæ & causæ instituendi divortium, ob fornicationem, sive adulterium, & ob lapsum in hæresin, sunt omnino diversæ rationis; nam ratio, sive causa & radix instituendi divortium, ob adulterium conjugis, est fides conjugalis violata, & divisio carnis in aliam, ideòque directe ac principaliter fit in favorem conjugis innocentis. At verò jns sive facultas instituendi divortium, postquam lapsus in hæresin, est de illa per judicium Ecclesiæ damnatus, principaliter ac directe non conceditur in favorem conjugis fidelis: sed infligitur in pœnam, ob injuriam Deo illatam.

§. IX.

An, & quo iure dissolvatur matrimonium ratum per Professionem?

XLIV. Assertio 1. Matrimonium ratum, sive per verba de presenti contractum: sed non consummatum dissolvitur, quoad vinculum, per solennem Professionem in Religione approbata, etiam alteri conjugi invito, factam, prout constat ex *c. Veritas, h. t.* Ubi Papa Alexander III. rescribit: si post matrimonium per legitimum consensum verbis de presenti contractum, unus conjugum, quamvis altero repugnante, Religionem ingressus, & professus fuerit (sicut quidam Sancti à nuptiis sunt vocati, prout legitur de S. Alexio, Thecla, S. Cecilia, & aliis) alter conjux in sæculo manens, si monium continentiam servare nolit, licite potest ad secus, das nuptias transire, dummodo carnalis commixtio inter eos non intervenerit (adeòque matrimonium non fuerit consummatum) quia cum non sint una caro effecti, separari possunt ab invicem, ita ut unus ad Deum transeat, & alter in sæculo remaneat. Et quo patet, quoddam primi matrimonii vinculum solvi per ingressum Religionis, ut notat *Gl. fin. hic*, nempe cum effectu, secuta Professione, *Sanch. Lib. 2. de matr. dis. 18. n. 3.* Idem habetur in *c. Desponsatum; 27. seq. caus. 27. q. 2. & c. Ex publico; 7. c. Ex parte; 14. h. t.* & novissime id etiam definitum est in Concilio Tridentino *sess. 24. de Sacram. matr. can. 6.* Si quis dixerit, matrimonium ratum: non consummatum, per solennem Religionis Professionem alterius conjugum, non dissolvi, anathema sit. Idque confirmatur etiam ex antiquissimo usu Ecclesiæ, & Apostolorum traditione à Christo derivata. Ratio est, non quod copula carnalis de substantia matrimonii; cum non concubitus: sed consensus nuptias faciat, *Reg. 30. in ff.* sed quia per matrimonium ratum inducitur tantum quoddam conjunctio, sive vinculum spirituale, cui subest tacita conditio resolutive, nisi sequatur mors spiritualis, scilicet, quæ fit per solennem Professionem in Religione approbata, *Zaf. in Comment. h. t. n. 17.* Ratio autem à priori est; quia matrimonium ratum mutuo consensu contractum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, per dilectionem charitatis, quæ non tantum est, cum per peccatum mortale solvatur, sed singulis membris: at verò matrimonium copulatum consummatum, significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, quæ perpetua est, nunquam solvenda, ideòque nullo etiam casu unquam dirimitur quoad vinculum; ratum verò matrimonium dissolvi potest per solennem Professionem, *Laym. Lib. 3. Tract. 10. p. 3. c. 11. n. 2. & 3. & alii.*

XLV. Assertio 2. Probabilis est, matrimonium ratum solvi per solennem Professionem in Religione emissam, jure solùm Ecclesiastico: sed antiquissimo à temporibus Apostolorum introducto, ut docet *Lessl. 2. c. 41. n. 69. Laym. cit. c. 11. n. 3. Zaf. in Comment. h. t. n. 18. Fagn. in c. Ex parte; 14. n. 8. h. t. & alii.* Probatur, tum quia matrimonium, speciatim rei naturæ, est insolubile, & non potest mutuo consensu dissolvi, nec ex aliis causis, ex quibus alii contractus dissolvuntur.

nam quia per Professionem non dissolvitur jus servitutis; cum Professio servi, invito Domino, facta sit, invalida, ergo neque per Professionem jure naturæ solvitur matrimonium ratum. Sed neque solvitur immediate jure Divino positivo, ut putat *Sancti. Lib. 2. disp. 19. n. 3.* Quia aliàs etiam per votum simplex Religionis deberet matrimonium ratum solvi; nam votum simplex & solenne, jure Divino, sunt ejusdem rationis, cum solennitas votorum ex sola Ecclesiæ Constitutione sit introducta, ut patet ex *c. un. de voto in 6.* Porro in *c. Ex publico; 7. h. t.* solum dicitur, ex S. Scriptura colligi, illud *Matth. 19.* de uxore non dimittenda, nisi ob fornicationem, intelligendum esse tantum de matrimonio consummato: similiter in *c. Ex parte; 14. h. t.* solum dicitur, Sanctos quosdam deseruisse sponsas suas ex revelatione Divina.

XLVI. Atque hinc inferitur primò. Quod per solennem Religionis Professionem tantum: non verò per propositum, vel etiam votum simplex perpetuæ continentiae servandæ in sæculo, dissolvatur matrimonium ratum, & non consummatum, prout constat ex *c. Ex parte; 14. h. t.* Nam cum quædam mulier coram duobus Abbatibus, cum solenni benedictione ac Litania, velum viduitatis assumpsisset: (sicut fieri consuevit) Nobilis quidam proposuit, quod prius dictam mulierem per nuncios, verbis de præfenti, interposita etiam archa (quæ intervenire potest in contractu matrimonii, non autem pœna ei adjici, *c. Gemma; 29. de sponsal. Gl. hic V. Arrha;* sibi desponsarit. Mulier de hoc interrogata ab Archiepiscopo Lugdunensi, confessæ est, se in illum consensisse: sed quia audierat, eum leprâ percussum esse, dixit, se ab eo recessisse (quæ tamen non erat iusta causa, solvendi matrimonium ratum, de quo alibi) Ad quod responderet Papa Innocentius III. etsi videri possit, quod matrimonium inter legitimas personas, per verba de præfenti contractum, iis votibus, in nullo casu dissolvi possit, ita ut alteri ad secundas nuptias transire liceat, etiam si unus conjugum, inter quos est ratum matrimonium, sit hereticus, & nollet fidei cohabitare, sine consensu Creatoris (hoc enim casum non solvitur inter eos matrimonium, quoad vinculum, attamen quoad torum, & cohabitationem divortium institui potest, ac debet *c. Quanto; 7. de divort. Gl. hic V. Ratum conjugum;*) præterquam si ex Divina revelatione, quæ omnem Legem superat (Lex enim privata inspirationis S. Spiritus Legi publicæ, etiam Divinæ, circa ea, quæ non sunt juris naturalis, aut per se mala, prævaleat, debet, ac præferri, *c. 2. caus. 19. q. 2.*) aliud cognoscatur, sicut à quibusdam Sanctis factum esse, legitur, quod conjuges suas reliquerint, etiam invitatas. Veruntamen cum non sit ab Antecessorum Pontificum vestigiis recedendum, qui super hac se consulti responderunt, licere alteri conjugi, altero inconsulto, ad Religionem transire, ita ut alter ex eo tempore legitimè aliud matrimonium inire possit: ideo hoc ipsum in proposito casu observandum esse: quamvis fallæ fuerit causa lepræ, cum sine tali causa impulsiva scilicet, *Gl. hic V. falsa sit causa*) solo Religionis ingrediendæ intuitu, id facere potuisset. Porro licet prædicta mulier videatur, per solennem veli suspensionem, habitum Religionis induisse (suspensio autem veli, sive habitus non facit Monachum:

sed Professio, *Gl. hic V. In veli suspensione*) si tamen dicat, se propositum tantum castitatis concepisse, & ideo in domo privata remanere velit: nihilominus tamen matrimonium consummare debet: nisi votum Religionis ingrediendæ, seu Professionem edendi emisit, tunc enim compelli potest, ut relicto sæculo, Religionem ingreditur.

Ubi Notandum primò. Ut matrimonium ratum, non consummatum dirimatur per Professionem alterius conjugis, tria requiruntur. Primò, ut emittantur tria vota paupertatis, castitatis & obedientiæ. Secundò, ut hæc vota emittantur in manibus ejus, qui habet potestatem incorporandi Religioni. Tertiò, ut fiat in aliqua Religione, à Sede Apostolica, approbata, *Fagn. in cit. c. Ex parte; n. 15. h. t.*

Notandum secundò. Ecclesia potest etiam statuere, ut matrimonium ratum dissolvatur, si alter conjugum labatur in hæresin, sicut constituit, ut dissolvatur matrimonium etiam consummatum, si unus ex duobus infidelibus convertatur ad fidem, *c. Gaudemus; 8. de divort. Abb. in cit. c. Ex parte; n. 7. Fagnan. ibid. n. 5.*

XLVII. Inferitur secundò. Matrimonium ratum, etsi dirimatur per Professionem solennem, trium vel quatuor votorum in Societate Jesu: non tamen per vota Coadjutorum Formatorum in eadem; quamvis enim sint publica, sive publicè emittantur, non tamen sunt solennia, sed simplicia: multò minùs dirimitur matrimonium ratum præcedens per vota simplicia Scholasticorum, & Coadjutorum temporalium, non Formatorum, quæ nec publica sunt, nec solennia, ut docet *Suar. tom. 4. de Relig. Tract. 10. Lib. 4. de vot. simpl. c. 2. n. 4. & seqq. Sancti. Lib. 2. disp. 18. n. 6.* Nam quamvis Gregorius XIII. in Constitutione, quæ incipit, Ascendente Domino, statuerit, ut vota simplicia Societatis dirimerent matrimonium contrahendum, sive postea subsequens, quem effectum antea non habebant: nullam tamen mentionem facit, de matrimonio prius contracto, adeoque quoad hoc impedimentum nihil mutavit: sicut etiam votum castitatis, etsi solenne, Ordini Sacro annexum dirimit matrimonium postea contrahendum: non autem prius contractum, *Extrav. unic. de voto, de quo infra;* quia scilicet plus est, dirimere matrimonium jam contractum: quàm dirimere contrahendum: & in hoc posteriore prius non continetur, & difficilius est solvere ligatum, quàm impedire, ne ligetur, *Suar. c. l. n. 6.* Accedit, quod in Societate Jesu, longo tempore, post vota simplicia edita, finito biennio Novitiatus, fiat solennis Professio, & ideo per illa non dissolvitur matrimonium ratum præcedens, ne uxor diu expectare cogatur, ut ex declarat. *S. Congreg. Concil. refert Barb. in Collect. in c. 2. in fine h. t.*

XLVIII. Inferitur tertiò. Per Professionem Ordinum militarium, qui sunt verè ac propriè dictæ Religionis per tria vota substantialia Religionis emissa, dirimitur quoque matrimonium ratum, & non consummatum, quales communiter censentur esse milites S. Joannis Hierosolymitani, & Melitenenses: non item illi, qui castitatem conjugalem tantum vovent, & servant; quia hæc prærogativa dirimendi matrimonium ratum, solum concessa est, Religioni propriè, ac simpliciter dictæ, *Navarr. Lib. 3. Consil. 2. h. t. Sancti. Lib. 2. de matr. c. 18. disp. 18. n. 8.* & alii apud *Barb. in collect. in c. Ex publico; 7. n. 3. h. t.* quamvis universim matrimonium ratum non dissolvi per Professionem quorumcunque

cūque Ordinum militarium, teneant nonnulli apud
Barb. c. l.

§. X.

*Intra quod tempus licitum sit sponsis
de presenti, ante matrimonium con-
summatum, ingredi Reli-
gionem?*

XLIX. Assertio unica, sponsus, vel sponsa de
presenti, ante consummationem matrimonii, si velit
ingredi Religionem, debet cautionem præstare, quod
intra duos menses, vel transibit ad Religionem, vel
redibit ad conjugem, eique adhærebit, prout de-
cernitur in c. Ex publico; 7. h. t. Nam cum mulier
» quædam à marito suo discessisset, ea causa delata
» fuit ad Episcopum Veronensem, qui pro matrimo-
» nio sententiam tulit, & præcepit mulieri, ut ad ma-
» ritum rediret, eique conjugalem affectum exhibe-
» ret: cum autem renueret, ab ipso fuit excommuni-
» cata. Postea verò mulier asseruit, quod licet à dicto
» viro fuerit desponsata, non tamen ab ipso fuerit car-
» naliter cognita, seque ad Religionem transire vel-
» le. Id significatum fuit Alexandro III. qui manda-
» vit Episcopo Brixienti, ut si prædictus vir eam car-
» naliter non cognovit, & illa ad Religionem transi-
» re velit, recepta ab ea sufficiente cautione, quod
» intra duos menses, vel ad Religionem transire, vel
» ad maritum redire velit, eam ab excommunica-
» tione absolvat: & si ad Religionem transierit, u-
» terque ab altero recipiat, quod ab altero accepit.
» (hoc enim fieri debet, quoties matrimonium dis-
» solvitur ex iusta causa, Gl. hic V. Restituat;) Neque
» his ob stare debet, quod Dominus in Evangelio di-
» xit, Matth. c. 5. & 19. Non licere viro uxorem di-
» mittere, nisi ob causam fornicationis; quia hoc in-
» telligi debet, de matrimonio per carnalem copulam
» consummato, sine qua non fit conjunctio.

L. Pro explicatione hujus cap. Notandum pri-
mò. Si post contractum matrimonium per verba de
presenti, unus conjugum alteri cohabitare, aut con-
jugii debitum reddere nolit, potest per censuram ex-
communicationis ad id compelli, Abb. hic n. 2. & in
c. Literas; 13. n. 29. de restit. spol. Ubi ait, quod vi
adduci possit in domum mariti: si verò excipiat, quod
Religionem ingredi velit, cum matrimonium non fue-
rit consummatum, debet Juxta ei præfigere terminum
duorum mensium, intra quem ingredi debet, vel ad
virum redire, accepta de hoc sufficiente cautione, nem-
pe per pignora vel fidejussores, Gl. hic V. Sufficiens;
præterquam si aliam cautionem præstare non posset,
quàm juratoriam, tunc enim illa sufficeret, Gl. ibid. &
Abb. n. 11.

LI. Notandum secundò. Probabilius est, quod
hoc tempus bimestre detur conjugui, ad deliberandum
de Religionis ingressu, & non ad profitendum, ita ut
elapsis duobus mensibus, statim profiteri debeat: sed
annus integer ei concedi debet ad probationem, etiam
spectato jure antiquo, quo durante, revocari non po-
test ab altero conjugue, ut docet Sanch. Lib. 2. de matr.
dis. 24. n. 4. & alii apud Barb. in Collect. in cit. c. Ex pu-
blico; n. 8. h. t. idque multò magis obtinet in locis, ubi

Concilium Trident. est receptum. Probatum, quia
quia annus probationis non datur tantum in favorem
ingressi, ut ipse Religionem experiat: sed etiam in
favorem Religionis, ut ipsa possit Novitium commo-
dè probare, quo jure non potest, nec debet privari,
et si possit Novitius, ob proprium factum, eo privari.
Tum quia Jus concedit sponsis de presenti facultatem
ingrediendi Religionem, ergo hoc ipso conceditur
etiam tempus jure præscriptum, ad probandam illam.
Quare quando in cit. c. Ex publico dicitur, quod aliter
conjug, ante consummatum matrimonium, pos-
sit intra duorum mensium spatium transire ad Re-
ligionem, id intelligendum est, de transitu, probatio-
nis causâ, & per assumptionem habitus Novitii,
non autem per emissionem Professionis. Idque, ut re-
tetur Juris antiqui correctio, quo annus probationis
datur ingrediendi Religionem, c. Ad Apostolicum;
16. de Regul. Nihil obstat, quod sit grave alteri con-
jugi tanto tempore continere; quia non potest dici, quod
li fieri injuria ab eo, qui jure suo utitur, & quidem
Jus alteri conjug non fuit ignarus. Ex quo sequitur,
quod sponsus per 4. annos, debeat expectare sponsam
duodenariam, donec profiteatur; cum profitemi ne-
queat post Concil. Trident. ante annum XVI. ex-
pulum, Barb. c. l.

Alii verò distinguunt, vel enim conjug, post ma-
trimonium ratum, Religionem ingreditur, cum li-
centia alterius conjugis, & annus ei dandus est ad pro-
bationem; quia cum consenserit in ingressum, videtur
etiam consensisse in tempus ordinarium probationis
vel ingressus est, sine licentia alterius conjugis, & tunc
non habet plus temporis ad probationem, nisi duo-
rum mensium, quibus elapsis, statim profiteri debet,
prout distinguit Gl. in c. Desponsatam; 27. V. Men-
sium caus. 27. q. 2. & alii apud Fagnan. in cit. c. Ex pu-
blico; n. 16. Alii denique distinguunt, vel conjug, ut
transire ad Ordinem Mendicantium: & tunc conce-
ditur illi annus integer, ad profitendum, siue cum alio
conjugis consensu transierit, siue sine illo; quia an-
nus probationis in Ordinibus Mendicantium, cum
de jure antiquo abbreviatus, seu restringi non potest,
2. de Regul. in 6. Vel conjug, transierit ad Ordinem non
Mendicantium, tum si alter conjug remanens in saeculo
non consentiat, cogetur ille infra duos menses pro-
fiteri; quia cum ingressus sit, & Religionem receperit,
invito altero conjugue, videtur renunciâsse, tam ingre-
diens: quàm Religio anno probationis, quod cum
fieri poterat in Ordinibus non mendicantium, c. Gu-
tinimus; 3. juncto c. 2. de Regul. in 6. valde enim veri-
mile est, quod Jus voluerit restringere annum proba-
tionis, favore conjugis in saeculo remanentis, ne co-
geretur expectare per XIV. menses, cum periculo inco-
ntinentiæ, Fagnan. c. l. n. 19. & seqq.

Verum hodie per Concilium Tridentinum 25.
25. de Regular. c. 15. juncto c. 22. omnes hæc distinc-
tiones sunt sublata, secundum quod in quacunque Re-
ligione, tam Mendicantium: quàm non Mendicantium,
nulla est Professio facta, ante annum probationis, im-
pletum, cui amplius renunciari non potest, juxta sen-
tentiam S. Congræg. Concilii apud Fagnan. c. l. n. 31.
Decretum enim irritans, appositum in aliqua dispo-
sitione, facit, ut ei renunciari non possit, c. Dilata-
25. circa fin. & ibi Gl. V. Hujusmodi clausula de præst. &
quia Concil. Trident. generaliter prohibet, ne ante
annum

annum fiat Professio, nullumque casum excipit, adeoque etiam in hoc casu irrita erit Professio; quia Lex universalis negativa universaliter est intelligenda, c. Solite; 6. §. fin. de majorit. & obed. & talis Lex generalis posterior corrigit priorem specialem, idque etiam ex ratione Decreti Tridentini colligitur, quæ in quovis casu locum habet, ne scilicet, si admittantur aliqui ad Professionem, antequam Religio ipsos, & ipsi Religionem bene probarent, postea turbas, & scandala excitent, Sanch. cit. disput. 24. quest. 2. num. 7.

LII. Notandum tertio. Si conjux, qui ante matrimonium consummatum Religionem ingressus est, intra annum probationis, ad aliam Religionem, illam quoque experjendi causâ transeat, Judex debet illi terminum præfigere, videlicet unius anni, quo finito, in illa Religionem proficetur, vel ad Conjugem relictum redeat; ne alioquin hic conjux diu expectare debeat, nec aliud matrimonium interim inire possit, Sanch. cit. disp. 24. n. 9.

Notandum quarto. Tempus bimestre concessum, ad deliberandum de ingressu Religionis est arbitrium, ita ut à Judice possit restringi, seu abbreviari, vel prorogari ex iusta causa, ut docet Gl. in cit. c. Ex publico; V. Infra duorum; h. t. Ioan. Andr. ibid. num. 8. Abb. n. 11. Nam quamvis quando præfigitur certus terminus à Lege, sine ministerio, seu operâ Judicis, is non possit brevius, vel longius tempus definire; quia Judex non est supra Legem: aliud verò est, quando terminus assignatur ministerio, seu mediante operâ Judicis, ut in cit. c. Ex publico; ubi jus non designat tempus bimestre, sed mandatur Judici, ut ipse designet, Sanch. cit. disp. 24. n. 12. Non tamen Judex, sine causa iusta, recedere debet à spatio duorum mensium, cum sit terminus juris, Abb. c. l. c. alij. Currit autem hoc tempus bimestre à tempore contracti matrimonij, vel potius à die præfixionis termini factæ à Judice, ut notat Gl. in cit. c. Ex publico; V. Infra duorum; Sanch. c. l. num. 21. & colligitur ex hoc c. Dum Papa mandat Episcopo, ut ab uxore recipiat sufficientem cautionem, quòd intra duos menses, vel ad Religionem transibit, vel ad virum redibit; cum ergò requiratur ministerium hominis non potest, tempus bimestre currere ipso jure à die initi matrimonij; sed à die, quo à Judice præfixus est terminus, Fagn. in cit. c. 7. n. 26.

LIII. Notandum quinto. Si conjux, sive sponsus de præsentì Religionem ingredi cogitet, potest duobus primis mensibus nolle matrimonium consummare, etiamsi alter conjux id exigat. Et quamvis ob auctoritatem DD. probabile sit, posse conjugem, etiamsi Religionem ingredi nolit, intra duos primos menses, negare debitum conjugi, eò quòd possit intra illud tempus propositum in melius commutare, & velle Religionem ingredi, licet ab initio noller, ut docet Sanch. cit. disp. 24. num. 25. Contrarium tamen est probabilius, ut post Navarr. & Coning. docet Lacom. Lib. 5. tract. 10. cap. 11. num. 3. not. 1. quia per contractum matrimonium uterque conjux statim tradit potestatem sui corporis alteri, nisi jus aliquem casum excipiat, vel aliter inter partes expressè fuerit conventum; atqui jus excipit illum solum casum, quo alteruter conjux

Tomus III.

Religionem ingredi cogitat, ut patet ex cit. c. Ex publico. Ergo &c. Nec refert, quòd propositum in melius mutare possit; quia de hoc in jure nulla fit mentio, neque jus considerat ea, quæ nonnisi rarissimè accidunt, l. Nam ea; §. ff. de legib.

LIV. Notandum sexto. Etiam post transactum bimestre, vel tempus à Judice præscriptum, ad consummandum matrimonium, potest adhuc uterque conjux, si matrimonium consummatum non sit, Religionem ingredi; quia Canones absolute dant facultatem ingrediendi Religionem, quolibet tempore, ante matrimonium consummatum, ita ut Professio semper dirimat matrimonium ratum, & tantum præfigunt bimestre, ut possit conjux compelli à Judice ad consummandum matrimonium, vel ingrediendum Religionem: non autem ut eo elapso, non possit amplius ingredi Religionem, hoc enim nullibi dicitur: imò mulier illa in cit. c. Ex publico; cui potestas transseundi ad Religionem datur, jam diu ante matrimonium contraxerat. Est tamen adhuc discrimen inter tempus illud bimestre, & reliquum tempus; quia toto tempore bimestri licet talis conjux debitum negat, non item eo transacto, nisi statim Religionem ingrediatur; quia tunc jam expiravit tempus deliberandi; quare post bimestre, tenetur conjux debitum reddere alteri, & ad id compelli potest, si Religionem non ingrediatur, Sanch. cit. disp. 24. n. 27. Porro etsi Judex potest sub pœna excommunicationis alteri conjugi præcipere, ut intra certum tempus Religionem ingrediatur, vel matrimonium consummet, quam re ipsa incurrat, si intra tempus definitum non pareat: Veruntamen, si etiam post illud tempus elapsum, conjux ingressus sit Religionem, revocari non debet, valeretque Professio, & post ingressum absolvendus est ab excommunicatione, ut tradit Gl. in cit. c. Ex publico; V. Infra duorum; in fine, & Sanchez c. l. num. 28.

§. XI.

An sponsa de præsentì possit Religionem ingredi, si à sponso sit carnaliter cognita per copulam violententer extortam?

LV. Assertio 1. Si sponsa de præsentì à sponso carnaliter sit cognita, per vim ei illatam, post elapsum bimestre, vel aliud tempus arbitrium à jure, vel Judice præscriptum conjugi volenti ingredi Religionem, ad deliberandum de ingressu ejusdem, tum illa non potest postea ingredi Religionem, in quo omnes conveniunt. Ratio est, quia tunc sponsus cogendo sponsam, ad consummandum matrimonium, utitur jure suo, exigendo sibi debitum, neque potest sponsa justè id denegare, adeoque consummato jam matrimonio, non licet uxori, invito marito, transire ad Religionem. Neque verò hoc casu, vi deorando sponsam, peccat sponsus, saltem si tentatis alijs medijs obtinendi consensum sponsæ in consummationem matrimonij, ipsa fuerit reluctata, alioquin verò peccaret; sed solum ratione modi, quia vis non debet inferri, nisi

A a a a

nisi

nisi repugnanti, *Sanch. Lib. 2. de matrim. dis. 22. nu. 13. Fagnan. in cit. c. Ex publico; num. 35. ubi num. 36. & 37. addit, hoc locum habere, si sponsa nondum intravit Religionem: si verò ingressa est, tunc non sufficit, lapsos esse duos menses: sed debet sponsus per integrum annum, qui praequiratur ad Professionem emittendam, expectare, quo transacto, poterit eam repetere, & egressam, si matrimonium consummare nolit, per vim cognoscere, dummodo Professionem nondum expressit, vel tacite emisit, per quam solvitur vinculum matrimonij nondum consummati.*

LVI. Assertio 2. Probabilius est, quod sponsa per vim oppressa, & carnaliter cognita à sponso, ante elapsum tempus bimestre, vel aliud arbitrarium: vel si ipsa jam ingressa est Religionem, adhuc tamen est intra annum probationis: possit nihilominus ingredi Religionem, vel jam ingressa emittere Professionem, etiam invito sponso, ut docet *Abb. in c. 2. num. 9. h. t. Sanch. cit. disput. 22. num. 6. Fagn. cit. loc. n. 78. & seqq. & alij apud ipsos. Ratio est, tum quia sponsus deliquit, & gravem injuriam intulit sponsae, cum non habeat jus, copulam extorquendi ante bimestre, vel aliud tempus praefixum, quo adhuc potest denegare debitum, adeoque non debet per violentiam privari jure suo. Tum quia delinquens non debet esse melioris conditionis, quam innocens, neque ex delicto suo commodum referre. Tum quia propter adulterium, & lapsum in hæresin, potest uxor virum deserere, & ingredi Religionem, manente vinculo matrimonij, ut supra dictum, ergo etiam propter violentiam conjugii illatam, non obstante matrimonij consummatione, potest sponsa perpetuum divortium facere à viro, etiam ipso invito, ita ut ipse maneat ligatus vinculo matrimonij: potest tamen femina violenter cognita, per accidens impediti ab ingressu Religionis, ratione damni, quod proli ex illa copula genitæ inferri posset, si Religionem ingrederetur, quæ fortè sine matre commodè educari non posset *Sanch. c. l. n. 7. Limitat hoc Fagn. c. l. num. 33. & 34. nisi sponsa, nondum elapso tempore bimestri, vel alio arbitrario, non excipiat, se ad Religionem transire velle: sed simpliciter renuat matrimonium consummare, vel aliam causam alleget, quàm transitum ad Religionem, v. g. quod nolit virginitatem perdere, tunc enim vir, postquam adhibuit alia media, ad obtinendum consensum sponsae in copulam, potest sine peccato vim ei inferre; quia exceptio, quam quis habet, ei non prodest, si non opponatur, sed perinde est, ac si eam non habuisset, ac proinde hoc casu non poterit talis conjux ingredi Religionem, vel in ea profiteri, post matrimonium jam legitime consummatum. Verum hoc non admittit *Sanchez c. l. quia ipse putat, quod sponsa, post consensum mutuum de presenti non teneatur, ante elapsum bimestre, reddere debitum, etiam si tunc non intendat ingredi Religionem, quod tamen rejecimus §. præced.***

LVII. Notandum hic præterea primò. Non tantum si sponsa de presenti per vim absolutam: sed etiam si per gravem metum solum sit violata à sponso, nihilominus ingredi potest, intra tempus praescriptum, Religionem; quia non ob defectum liberæ, seu spontaneæ voluntatis: sed ratione in-

juræ sponsa illata, & ob injustitiam à sponso commissam, conceditur sponsa ingressus in Religionem, quæ etiam subest, quando per metum gravem copulam extorsit, *Sanchez cit. disp. 22. n. 6.*

Notandum secundò. Aliqui dicunt, per copulam vi extortam non consummari matrimonium, quia matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, per assumptionem carnis, quam repræsentare potest sola copula carnalis voluntaria: non violenter extorta, sicut unio Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis fuit voluntaria; quia ad consummationem matrimonij duo requiruntur, consensus animorum, & commixtio corporum: sicut ergo vis absoluta impedit consummationem, seu perfectionem matrimonij spiritualis, ob defectum liberi consensu, ita multò magis impedit consummationem matrimonij carnalis. Neque obstat, quod ex copula violenta oriatur affinitas, c. *Discretionem; 6. de n. qui cognovit consanguin. uxor.* Non enim propterea efficiuntur una caro, ut notat *Gl. in c. de n. 12. V. Erunt; caus. 32. quest. 4. Fagnan. c. l. n. 39. & seqq.* Verum alij admittunt, quod conjuges etiam per copulam violentam fiant una caro, sicut Christus per carnem est unius Ecclesiæ. Nam quamvis copula vi extorta, non repræsentet conjunctionem Christi cum Ecclesia, quoad modum, quæ hæc unio est voluntaria: repræsentat tamen illam quoad substantiam, *Sanchez c. l. num. 4. Deinde si sponsa corrupta à sponso suo, si postea ingrediatur Religionem, non possit consecrari inter Virgines, cum virginitatem amiserit: potest tamen Professionem emittere, Fagn. in cit. c. Ex publico; n. 14.*

§. XII.

An, & quâ ratione coniugatus possit, vel non possit Ordines suscipere, vel etiam ad Episcopatum assumi?

LVIII. Assertio 1. Coniugatus non potest ad sacros Ordines promoveri, nisi uxor licentiam dederit, & continentiam voverit, prout decreverunt c. *Coniugatus; 5. h. t. Ubi Papa Alexander III. interprescribit: nullus Conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam proficiente fuerit absolutus: ubi idem indistinctè statuitur de conjugio, seu matrimonio, sive consummato, sive non. Et in c. Sane; 6. in princ. h. t. dicitur: Si conjugati ordinari voluerint, uxoris voluntas prius requirenda. Ratio est, quia si vir Ordinem sacrum suscipere, & statum mutare posset, sine consensu uxoris id cederet in grave præjudicium ejusdem, *Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 38. n. 2. Extenditur autem, quod non solum ad sacros: sed nec ad minores Ordines potest promoveri coniugatus, sine uxoris licentia, & alij requisitis, de quibus infra, prout jure posteriore statutum est in c. ult. de temp. Ordin. in 6. & ibi Gl. Definitum, Gl. in cit. c. Coniugatus; V. Ad sacros, ubi ex eo, quod de solis Ordinibus sacris ibi fit mentio, non rectè inferitur, quod ad Ordines minores promoveri possit; quia argumentum à contrariis contra nihil probat, quando contrarium Legè, vel Ca-**

none est decifum, ut docet *Everb. in locis legal. loco à*
contrario sensu; 82. n. 4. ut in proposito, Sanch. c. l. n. 6.
 Et quamvis Ordinibus minoribus non fit annexum
 votum continentia, & nihil ex hac parte obstat, eos
 fufcipere, post matrimonium contractum, repugnat
 tamen, propter specialem juris prohibitionem, *Sanch.*
c. l. n. 10. Nec potest conjugatus etiam primam tonsu-
 ram accipere, nisi velit quoque ad sacros Ordines
 promoveri, *cit. c. ult. de temp. Ordin. in 6. Abb. in cit. c.*
Conjugatus; n. 2. h. t. Sanch. c. l. n. 9.

LIX. Porro ad hoc, ut vir Ordines fufcipere pos-
 fit, præter licentiam uxoris, requiritur etiam, ut illa
 in fæculo manens, perpetuum continentiam voveat, si
 senex fit, & extra periculum incontinentia verferetur.
 Si verò fit juvenis, vel fufpecta de incontinentia, et-
 tiam Religionem profiteri debet, *Gl. à plerisque rece-*
pta in cit. c. Conjugatus V. ab uxore, Abb. ibid. num. 4.
Sanch. cit. Li. 7. dif. 39. n. 6. & fumitur ex c. Episcopus; 6.
dif. 77. quod est delumptum ex Concilio Agathens. c.
16. & 17. ubi dicitur: Sanè si conjugati juvenes consen-
ferint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est,
ut fequestrato mansionis cubiculo, Religione promiffa, po-
ftequam pariter converfi fuerint, ordinentur: Ubi etfi
Gl. V. Religione dicat; eo nomine intelligi caftitatem,
 hæc tamen expofitio violenta est, & vim infert litem-
 ra; ficut ergo, si vir ingrediatur Religionem, fufficit, si
 uxor fit senex, & non fufpecta de incontinentia, ut vo-
 tū continentia edat in fæculo: si verò juvenis fit, vel
 fufpecta de incontinentia, requiritur ingressus ipsius
 in Religionem, juxta *c. Cum fit; 4. c. Uxoratus; 8. c. Ad*
Apostolicam; 13. h. t. ita idem dicendum, si vir ad
 Ordines promoveatur. Ratio est, quia si uxor juve-
 nis Profefi in Religione, compellitur ingredi Reli-
 gionem: multò magis uxor Clerici facularis promo-
 ti ad Ordines, quia faciliùs potest talis Clericus uxore
 invifere, ideòque majus fubest periculum in-
 continentia, quam ex parte Profefi in Religione,
Sanch. cit. dif. 39. n. 6. & alij apud ipsum. Et hinc eti-
 am, si illi conjuges fint fufpecti de incontinentia, non
 funt permittendi simul habitare in eadem domo: Si
 verò non fint fufpecti, fatis est, si in feparatis cubicu-
 lis degant, juxta *c. Episcopus; 6. dif. 77. Sanch. cit. dif.*
39. n. 8. Quare juxta fuprà dictam diftinctionem in-
 telligi debet *cit. c. Conjugatus; h. t.* in quo folum re-
 quiritur, ut uxor continentiam promittat, ad hoc, ut
 vir promoveri poffit ad Ordines, etiam sacros: nam id
 verum est, quando uxor est senex, nec fufpecta de in-
 continentia, *Sanch. c. l. n. 9.* Nec obstat, quòd con-
 juges poffint in fæculo manere, fi communi confenfu
 continentiam voveant, quo cafu, neuter petere po-
 test, nec reddere debitum, ergo etiam vir poterit pro-
 moveri ad Ordines sacros, edito ab uxore voto conti-
 nentia, etfi in fæculo maneat. Verùm diverfa hic
 est ratio, quando enim uterque conjux, edito, com-
 muni confenfu, voto caftitatis, periclitaretur de in-
 continentia, poffet faciliè peti, & obtineri difpenfa-
 tio: non item fi vir in facris Ordinibus fit constitu-
 tus, ita faciliè difpenfari potest, ut ad uxorem redeat,
Sanch. c. l.

LX. Afferitio 2. Per fufceptionem Ordinis
 » facti, impeditur quidem matrimonium contra-
 » hendum, & dirimitur etiam matrimonium, fi post
 » (ufceptionem facti Ordinis) contractum fuerit,
 » fecundum ftatuta Canonum; non tamen diffolvi-

Tomus III.

tur matrimonium priùs contractum (per legiti-
 » mum viri, & mulieris confenfum) etiam fi per car-
 » nis copulam non fuerit consummatum. Quare au-
 » ctori tate Apostolica prohibet Papa Ioan. xxii. ne
 » quifq uam, durante matrimonio, nondum etiam
 » consummato, aliquem ex facris Ordinibus præfu-
 » mat fufcipere, nisi prout facris Canonibus est con-
 » celfum: (fcilicet cum uxoris licentia Religionem
 » ingredientis, vel faltem votum caftitatis emit-
 » tentis, fi abfq periculo, & fufpitione inconti-
 » nentia in fæculo maneat) quòd fi quis hoc fecerit,
 » is diffoluto etiam matrimonio, nec in fufcepto (du-
 » rante matrimonio) Ordine miniftrare, nec ad Su-
 » periores Ordines ascendere, nec ad aliquod Benefi-
 » cium Ecclefiafticum promoveri poterit, nisi ali-
 » quam ex Religionibus approbatis ingrediatur, &
 » ejus Regulam exprefse, vel tacite profiteatur; quo
 » cafu Diœcefanus, five Epifcopus loci, in quo talis
 » Religionem ingreffus est, cum illo in fuprà dictis
 » difpenfare potest (nempe, ut in fufcepto Ordine
 » miniftrare poffit, & ad altiores promoveri &c.) ni-
 » fi aliud canonicum impedimentum obftat, ita
 » ftatuitur in *Extravag. Antiquæ unic. Ioan. xxii. de*
 » voto. Ubi in fine fubjungitur, quòd conjugatus
 » fit ordinatus, per Diœcefanum inftanter monendus
 » fit, ut fi matrimonium nondum fit consummatum,
 » Religionem ingrediatur: quòd fi renuerit, & fpon-
 » fa ejus inftiterit, per cenfuram Ecclefiafticam ad
 » consummandum matrimonium cōtractum, est com-
 » pellendus. Ex quo patet, quòd tali cafu, vir non te-
 » netur ingredi Religionem: fed tantum monendus fit
 » ad ingreffum; *Gl. hic V. Præcipimus; Sanch. Lib. 7. de ma-*
trim. c. 38. n. 18. Porro ratio differentia, cur matri-
 monium ratum, & non consummatum dirimatur per
 folemne Profefionem in Religione: non verò per
 fufceptionem facti Ordinis, est, tum quia Jus de fo-
 la folenni Profefione hoc ftatuit. *Extravag. Antiquæ*
ibi. Cùm nec Jure Divino, nec per sacros Canones repe-
riatur hoc ftatutum, ideòq; cenfetur prohibitum, Gl.
ibid. V. Statutum, & V. Est censendum. Tum quia votum
 continentia Ordini facro, non ex natura Ordinis: fed
 ex constitutione Ecclefia annexum, est per accidens
 foleenne, & fufceptio Ordinis non inducit mortem
 Civilem, ficut foleennis Profefio, cùm ordinatus
 maneat fui juris, *Sanch. Lib. 2. de matrim. difp. 18.*
num. 9.

LXI. Notandum hic præterea primò. Si vir ad
 Ordines sacros promotus fit, fine licentia uxoris,
 quia ipfa contradixit, vel ignoravit, vel cum licen-
 tia, fed metu gravi, aut dolo exprefsa à viro, vel etiam
 illa tacente, & diffimulante: his omnibus cafibus,
 potest uxor revocare virum; quia requiritur
 licentia libera, & fpontanea, & taciturnitas non ha-
 betur pro confenfu in re ardua, & alteri præjudiciali,
Sanch. Lib. 7. de matr. dif. 38. n. 11. 13. & 15. & tunc
 revocatus, ante matrimonium consummatum, co-
 gitur quidem matrimonium consummare, & tene-
 tur petenti reddere debitum; quia non potuit, fine
 præjudicio uxoris, sacros Ordines fufcipere: non ta-
 men potest petere, quia obligatur voto caftitatis an-
 nexo Ordini facro fufcepto, ideòque tenetur abfti-
 nere, quantum lex matrimonij permittit, idque pro-
 cedit etiam post matrimonium consummatum, *Sanch.*
cit. dif. 38. n. 20. & 22. & alij apud ipsum.

Aaaa 2

No-

Notandum secundò. Si vir sacris Ordinibus sit initiatus, invita, & ignorante uxore, non potest, post mortem illius, valide inire aliud matrimonium: quamvis is, qui sine licentia uxoris est professus Religionem, & ab ipsa revocatus, post mortem illius, ad alias nuptias transire possit, saltem validè, etsi non licitè, propter simplex votum continentia; juxta c. *Placet* 12. h. Ratio diversitatis est; quia Professio est irrita, ideòque per illam non potest dirimi matrimonium subsequens: At verò Ordo sacer, etiam sine licentia uxoris, est validè collatus, cuiusque characteri ex Ecclesiæ constitutione est annexum solenne votum continentia; per quod subsequens matrimonium dirimitur, ideòque matrimonium contractum, post Ordinem sacrum validè susceptum, est irritum, *Abb. in cit. c. Placet; n. 7. Sanch. cit. dis. 38. num. 24.*

LXII. Notandum tertio. Si vir cum uxoris spontanea licentia, ad Ordines etiam sacros sit promotus: sed sine alijs jure requisitis, non potest ab illa revocari ad consortium conjugale; cum sit obligata ad continentiam perpetuò servandam, hoc ipso enim, quòd licentiam dedit viro, suscipiendi Ordines, censetur etiam vovisse continentiam, & privata usu conjugij, & consequenter etiam jure revocandi virum, *Sanch. Lib. 7. dis. 39. n. 11.* Et in hoc consentiunt omnes, tam Theologi: quàm Canonistæ, teste *Fagnan. in cit. c. Conjugatus; n. 8. h. t.* Limitat tamen *Sanch. c. l. n. 12.* Dummodò uxor sciverit, quæ jure requirantur ad legitimum transitum viri ad Ordines, alioquin, si ignoravit, poterit revocare virum; cum non possit tum censeri, voluisse se obligare ad continentiam, sive illam voverit, etsi aliqui hanc limitationem non admittant.

Notandum quartò. Quando vir, cum licentia spontanea uxoris, Ordines sacros susceperit, tum uxor, eo mortuo, non potest validè aliud matrimonium inire, ut constat ex c. *Quia sunt; 10. dis. 28.* ubi *Gl. fin. ait: supple. & cum ordinatum, uxore sciente.* Ratio est, non quòd votum simplex continentia; ab uxore editum fiat solenne per actionum communicationem, & quia facti sunt una caro: sed quia ex Ec-

clesiæ constitutione, ob reverentiam Ordinis suscepti à viro, cum licentia uxoris vovens castitatem, ipsa quoque reddita est inhabilis, ad aliud subsequens matrimonium ineundum, *Agor. p. 1. l. 1. c. 14. q. 11. Sanch. cit. Lib. 7. c. 40. n. 3.* Idque procedit, etsi uxor nullum edidit votum castitatis; quia in c. *Quia sunt;* id matrimonium irritatur, nulla facti mentione voti, neque enim irritatur ratione voti, sed ex constitutione Ecclesiæ. Quòd si vir Ordinem sacrum susceperit, uxore contradicente, vel quocumque, potest ipsa, eo mortuo, aliud matrimonium validè inire; quia delictum viri non debet præjudicare uxori, *Sanch. c. l. n. 4. qui n. 5. addit, idem dicendum, si consensu tacito tantum uxoris, vir sit Sacris initiatus, illà scilicet sciente, & dissimulante; quia dissimulatio in re ardua, & præjudiciali non reputatur consensus, licet *Gl. fin. in cit. c. Quia sunt; dissimulatio.**

LXIII. Assertio 3. Conjugatus non potest ordinari Episcopus: nisi uxor ejus continentiam priùs professã, sacrum sibi velamen imponat, & Religiosam vestem assumat, prout statuitur in c. *Sanè; 6. h. t.* adeòque non satis est, illam in sæculo manere edito voto continentia;. Ratio desumitur, tum ex Dignitatis Episcopalis excellentia, ob quam de eodem, ut uxores Episcoporum, quatenus eorum status permittit, etiam ad perfectioris vitæ statum assumuntur, adeòque ut in Religione inter Moniales promerentur: tum ne uxor in sæculo permanens sape alijs mulieribus associata, visitet Episcopum, & ab eogratias, ad ditandos consanguineos, impetret, *Abb. in cit. c. Sanè; n. 2. Sanch. Lib. 7. de matrim. dis. 41. num. 1.* Quare licet conjugatus fiat Episcopus, non tamen ideò dissolvitur matrimonium ratum, priùs contractum; quia non potest dici mortuus spiritualiter, cum neque absolutam obedientiam, neque pauperiam voveat, *Barbos. in cit. c. Sanè; n. 3. h. t.* Porro ut maritus possit ad Cardinalitiam Dignitatem promoveri, non requiritur ingressus uxoris in Religionem, nec plus, quàm requiratur ad Ordines à viro suscipiendos, quia non reperitur jus speciale in hoc casu assignatum, nec ratio, quæ ad aliud statuendum cogit, *Sanch. cit. dis. 41. n. 4.*

TITVLVS XXXIII.

DE CONVERSIONE INFIDELIUM.

Postquam in Titulo præcedente actum est de Conversione Coniugatorum fidelium, ad statum Religiosum, per Professionem editam in Religione, nunc subiicitur hic Titulus, in quo agitur de Conversione Coniugatorum infidelium ad fidem, utrùm uno ex coniugibus converso ad fidem, matrimonium illorum, & quomodo dissolvatur?

I.



ASSERTIO I. Si vir infidelis occidat maritum uxoris fidelis, sive Christianæ, ejusdem infidijs, & machinationibus, non potest is illam postea ducere in uxorem, etiamsi hæc istud fecerit, ut vir infidelis, inito

cum ipsa matrimonio, ad fidem converteretur, prout statuitur, in c. *Laudabilem; 1. h. t.* In quo de duobus interrogatus fuit Papa Celestinus III. Primò Saraceni, dum in captivitate essent Christianorum, maritos quarundam Christianarum mulierum occiderunt, earundem infidijs, & machinationibus, qui postea dictarum mulierum opera ad fidem